DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA

PERTRACTANS

ACTA MEDICO-CLINICA

ACADEMIAE JOSEPHINAE

ANNO SCHOLASTICO

1835 — 1836.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA
PERTRACTANS

ACTA MEDICO-CLINICA
ACADEMIAE JOSEPHINAE
ANNO SCHOLASTICO
1835 — 1836,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
CLARISSIMORUM ET CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM
PRO
DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE
LAUREA
RITE OBTINENDA
IN
CELEBERRIMA
C. R. ACADEMIA JOSEPHINA
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT



Augustus Winter,
Bohemus Braunensis,
Medicus castrensis.

In Theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae die mensis Julii 1837.

VINDOBONAE.
TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.

Der erhabenste Beruf des Menschen, nach dem Gottesdienst bleibt doch der, Priester der heiligen Flamme des Lebens, und Verwalter der höchsten Gaben Gottes, und der geheimsten Kräfte der Natur für das Menschengeschlecht zu seyn, das heißt — Arzt zu seyn. — Ein hohes, heiliges Geschäft! Verwalte es rein, nicht zu deinem Vortheile, noch zu deinem Ruhme, sondern zur Ehre Gottes, und zum Heil deines Nächsten. Dereinst wirst du Rechenschaft davon geben müssen! —

Hufeland.

MAGNIFICO, CELEBERRIMO

AC

DOCTISSIMO DOMINO

STEPH. EMAN. SCHROFF,

MEDICINAE DOCTORI,

CAES. REG. APOST. MAJESTATIS CONSILIARIO, PROTOMEDICO CASTRENSI, PRAXEOS MEDICAE, PATHOLOGIAE ET THERAPIAE SPECIALIS IN ACADEMIA CAES. REG. MED. CHIRURG. JOSEPHINA, PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, PERENNIS DELEGATIONIS REI MEDICAE CASTRENSIS ASSESSORI, INCLYTAE FACULTATIS MEDICAE VINDOBONENSIS SODALI ETC. ETC.

PIA MENTE HASCE LITERARIAS PRIMITIAS SACRAT.

Perillustris ac spectabilis Domine,
Vir summe ac integerrime!

Cui potius hasce Pieridum primitias commendem, Vir Perillustris, quam Tibi, qui primus me aegris auxiliatrices porrigere manus studiosissime docuisti et omnes, in quas juniores medici illidere solent syrtes paterne mihi ostendisti, qui semper patrio

consilio consuetaque tua gratia me beavisti? — Innumera sunt et aeterna memoria digna, quae generoso animo ductus in me contulisti beneficia, ast summum, quo vitam servatam Tibi debeo! — Utinam tantum mihi esset facultatum, ut debitum grati ani-

mi testimonium praebere possem! — Hoc enim, quod tamquam grati animi mei pignus ac monumentum Tibi offero, opusculum sane leve est, nec magno Tuo nomine et amplissima Tua autoritate satis dignum.

Intuere igitur benigne voluntatem et ſervidum gratias referendi studium Tuamque, cui tota mea salus innititur gratiam et benevolentiam porro quoque denegare noli

devotissimo Autori.

PROOEMIUM.

Quod ultimum in emetiendo curriculo academico pro capessenda summa doctoratus laurea injungitur pensum, praesente hocce opusculo absolvere studui. Hae pagellae quae qua continuatio dissertationis, a Dre. et clinici medici Assistente Dno. Willerding anno praeterlapso editae, publici fiunt juris, casus morborum in schola medico-practica sub inclytissimi ac clementissimi Dom. Prof. et Doctoris St. E. Schroff tractatorum eminentiores, historiis brevibus delineatos complectuntur. Mihi hunc laborem venerandissimi Dom. Professoris consensu agressuro lex

grata erat, ut in collegarum gratiam, quae hoc anno scholastico perenni memoria digna observabantur, synopsin qua fidam et salutarem artis medendi normam conscriberem.

Dispositio hujus opusculi sequens mihi praeplacuit: praemisso tabellari conspectu morborum aegrorumque, qui cursu novem mensium ab initio Octobris 1835 ad finem Junii 1836 in scholam medico-practicam recepti fuere et adsignato ubique morbi exitu, singulas morborum historias secundum librum nostrum scholasticum autoris J. N. Nob. de Raimann, qui sex morborum classes: febres, inflammationes, efflorescentias cutaneas, cachexias, eccrises et neuroses posuit, in sex quoque sectionibus congessi, quarum cuilibet generalia de morborum

natura, decursu et tractatione, quales in nostro clinico innotuere, praemisi. In singulis morborum historiis, quas castitate et sinceritate condecorare adnitebar, supersedens omni symptomatum non essentialium enumerationi, nonnisi anamnesin et statum, qualem se sub visita prima obtulit, fusius depinxi, sub ulteriori morbi decursu symptomata scitu maxime necessaria referens sermonem vagiorem tunc serui, si morbus essentiales quoad formam et decursum mutationes ingressus erat, misso omni respectu diagnoseos, aetiologiae ac prognoseos scrutinio. In therapia adnexa simplicem adparatus medicamentorum adhibiti enumerationem adduxi, nunquam sectione cadaverum ommissa.

Si quid emolumenti, Collegae! ex his pagellis ceperitis, non mihi sed nostro aman-

tissimo praeceptori gratias referte; sufficit conscientia, utilitatis quid vobis me suppeditare potuisse. Quod si plura corrigenda et vituperanda inveneritis, temporis angustias et thematis non exilem difficultatem perpendatis, velim.

Dabam Viennae die . Julii 1857.

CONSPECTUS

aegrorum anno scholastico 1835 — 1836 in clinico medico Academiae Josephinae decumbentium.

Status morbi.	Suscepti.		Dimissi				Mortui.		Adnotationes.
			Sanati.		non Sanati.				
	Viri.	Femin.	Viri.	Femin.	Viri.	Femin.	Viri.	Femin.	
Febris inflammatoria simplex.	2	1	2	1	—	—	—	—	
— nervosa	6	3	3	2	—	—	3	1	
— putrida	1	—	—	—	—	—	1	—	
— catarrhosa	19	1	19	1	—	—	—	—	
— rheumatica	11	4	11	4	—	—	—	—	
— gastrico - saburralis	11	—	11	—	—	—	—	—	
— gastrico - biliosa.	9	—	8	—	—	—	1	—	
— intermittens	7	—	7	—	—	—	—	—	
— depascens	1	1	1	—	—	—	1	—	
Meningitis	1	—	1	—	—	—	—	—	
Delirium tremens	1	—	1	—	—	—	—	—	
Inflammatio faucium	4	—	4	—	—	—	—	—	
— laryngis	2	—	2	—	—	—	—	—	
— tracheae	1	—	1	—	—	—	—	—	
— oesophagi	—	1	—	1	—	—	—	—	
— pulmonum	11	1	11	1	—	—	—	—	
— pleurae	3	—	3	—	—	—	—	—	
— cordis	—	2	—	1	—	—	—	1	
— peritonei	1	2	1	2	—	—	—	—	
— intestinorum	—	1	—	1	—	—	—	—	
Dysenteria	2	—	1	—	—	—	1	—	
Inflammatio hepatis	4	1	3	1	—	—	1	—	
— pancreatis	1	—	1	—	—	—	—	—	
Catarrhus afebrilis	3	2	3	2	—	—	—	—	
Rheumatismus	8	—	7	—	1*	—	—	—	*In thermas Badenses missus.
Ischias nervosa Cotunn. pos.	1	—	1	—	—	—	—	—	
Erysipelas	2	1	2	1	—	—	—	—	
Scarlatina	1	1	1	1	—	—	—	—	
Varioloides	1	—	1	—	—	—	—	—	
Varicellae	3	—	3	—	—	—	—	—	
Urticaria.	1	—	1	—	—	—	—	—	
Latus	118	22	110	19	1	—	8	2	

Status morbi.	Suscepti.		Dimissi Sanati.		Dimissi non Sanati.		Mortui.		Adnotationes.
	Viri	Femin.	Viri.	Femin.	Viri.	Femin.	Viri.	Femin.	
Translatus	118	22	110	19	1	—	8	2	
Scabies	2	—	2	—	—	—	—	—	
Tinea capitis	1	1	1	1	—	—	—	—	
Crusta lactea	1	—	1	—	—	—	—	—	
Herpes	—	1	—	1	—	—	—	—	
Syphilis	2	—	2	—	—	—	—	—	
Status pituitosus	—	1	—	1	—	—	—	—	
Phthisis pulmonum	3	—	—	—	—	*3	—	—	* Duo rus missi. Tertius ad fin. curs. nosocom. trad.
Scorbutus	2	—	2	—	—	—	—	—	
Chlorosis	—	3	—	3	—	—	—	—	
Cyanosis	—	1	—	—	—	—	—	1	
Hydrops	2	3	1	3	—	—	*1	—	*Ad fin. curs. nosocom. trad.
Haemoptoe	1	1	1	1	—	—	—	—	
Haemorrhois	2	—	2	—	—	—	—	—	
Metrorrhagia	—	3	—	2	—	—	—	*1	* Ex propria petitione dimissa.
Leucorrhoea	—	1	—	1	—	—	—	—	
Diarrhoea	5	—	5	—	—	—	—	—	
Cholera nostra	2	—	2	—	—	—	—	—	
— orientalis	2	1	—	1	—	—	2	—	
Amenorrhoea	—	1	—	1	—	—	—	—	
Icterus	3	—	3	—	—	—	—	—	
Arthritis	—	1	—	—	—	*1	—	—	* Ad fin. cursus.
Cephalalgia	1	—	1	—	—	—	—	—	
Enteralgia	1	—	1	—	—	—	—	—	
Tussis spasmodica	—	1	—	1	—	—	—	—	
Convulsiones	—	1	—	—	—	1	—	—	
Chorea St Viti.	—	1	—	1	—	—	—	—	
Epilepsia	1	1	—	1	*1	—	—	—	*Ad fin. curs. nosocom. trad.
Hemiplegia.	—	1	—	1	—	—	—	—	
Summa	149	45	134	38	2	5	11	4	
Summa Summarum	194		172		7		15		

I.

FEBRES.

1. Febris inflammatoria simplex.

Hujus morbi formae perquam rarae tres occurrebant casus, cujus unius ob suam cum febre variolosa similitudinem mentionem facere utilitatis erit.

Pyrobolarius robustus, bene nutritus mox quintum lustrum completurus praecurrente lassitudine et dedolatione, doloribus in lumbis et pectore trahentibus d. 19. April de nocte frigore brevi, subsequo aestu flagrante, cephalaea dira et polydipsia implacabili impetitur. Per diem noctemque sequentem augescit horum phaenomenorum intensitas, vertigo frequens, susurrus aurium et photopsia comites eunt, quibus tertia die (21. Apr.) binae materiae aquosae accedunt emeses.

In nosodochium transportatus et vesperi in clinicum susceptus omnia vehementis febris inflammatoriae indicia praesefert, affectione alicujus organi vix conspicua.

Ordinantur phlebotomia ad unc. octo — nitri p. drachm., arcan. duplic. dr. tres, in aqua solutae et

syrup. simplic. edulcoratae — emulsio amygdalin. p. potu — et congruum regimen. Pergitur cum his medicaminibus absque venaesectione per biduum, et 6. morbi die, morbus absque exacerbationibus vespertinis nocturnisve larga diuresi et diaphoresi in stadium reconvalescentiae et mox sanitatis completae transgreditur.

2. Febris nervosa.

E tribu febrium nervosarum hoc anno observatarum potior numerus febribus gastrico-biliosis et saburralibus suam debuit originem, sed nec catarrhalibus et rheumaticis nisus in dominantem characterem gastrico-adynamicum defuit. Charactere nervoso vix pulsante, signis gastricis licet non obfuscatis, ab usu tartari emetici et remediorum solventium alias adeo salutari abstinere consultum fuit, quia diarrhoeae perniciosae vix domandae, meteorismus, et ileitis inflammatorio-ulcerosa modo fere inevitabili insequebantur. Contra ipecacuanha in dosi refracta et epispasticis suffulta salutarem exseruit effectum. Quodsi characteris nervosi primitias justo tempore debellandi et in pristinum morbi indolem reducendi, occasio non daretur, transitus in ulcera intestinalia et per haec consuetim in mortem cohibendus vix fuit.

Miles gregarius robustus, 29 annorum, in balneo, posteaquam brevi ante panem ac cerevisiam ingessisset, febri invaditur. In clinicum suscepti, caput

occupatum; oculi lacrimantes, rutilantes; lingua squalore multo foeda; sapor limosus; ciborum aversatio; sitis aucta; oppressio et sensilitas epigastrii; thermogenesis aucta cum pulsu celeri, molli, subforti. — Ordinatur dctm. alth., sal. Glaub. dr. duae, tart. emetic. gran. — Dctm. hordei p. potu. — De nocte quinquies vomuit, absque levamine; per diem et noctem insequentem pluries alvum movit, fluidam aeque sine levamine; tertia die obtutus fit lanquidus, caput vertiginosum, facies defigurata; venter tumidus ac resonans; pulsus debilis; madet lingua squalore; rarescit tussis humida; increscit symptomatum intensitas; somnolentia cum deliriis placidis; insignis musculorum debilitas; calor in cute arida inaequabiliter diffusus et respiratio laboriosa; dolor in regione iliaca dextra fixus pressione ibidem eliciendus; urinae flavo-fuscae et crebrae alviductiones fluidae superaccedunt. — Infus. ex rad. ipecacuanhae gr. duodecim ad colat. unc. sex, cum gummi arabico interne; dein emplastrum cantharidum ad regiones iliacas; et sinapismi ad suras in usum nunc trahuntur, per quae remedia nona morbi die copiosae crises per sudores, urinas furfuraceas, sputa cocta et pultaceas alviductiones inducuntur. Absolutis 11. morbi die evacuationibus criticis patiens decoct. taraxac. c. syr. cichorei c. rheo accipiebat, et tres dies post sanus dimittebatur.

Etiam in typho sic dicto abdominali ipecacuanha, moschus, et irritamenta cutanea salutaria se exhibuerunt.

In febre nervosa cum torpore remedia stimulantia et volatilia et permanentia, dein roborantia larga dosi propinata salutifera excelluere virtute. Si autem irritatio vel inflammatio organorum nobilium febribus nervosis nuptae occurrebant, vel in decursu adsociabantur, relicta methodo stimulante pro rerum circumstantiis ratio medendi emolliens, antiphlogistica imo graviter debilitans capessebatur. In paucis casibus, in quibus hac ratione vita conservari non potuit, sectione cadaverum facta ampla et numerosa ulcera in interna intestini ilei et cocci facie detegebantur.

Febris inflammatorio-biliosa cum diarrhoea symptomatica et nota rheumatica.

Puella 25 annorum, erethica, sat robusta, 16. Novemb. ira vehementiore commota, repente frigore, totum corpus conquassante, perstringitur, quod mox aestus, peculiaris aegritudinis sensus, artuum dedolatio, cephalaea, polydipsia excipiunt, quibus mane mitigatis et vesperi exasperatis 19. Novemb. sensatio in scrobiculo cordis dolorifica, sapor amarus, ructus amarescentes, dolores in cervice et pede sinistro lancinantes consociantur. Nihilominus aegra vires labentes ad consueta officia impellit. Implorat auxilium medicum, potus theatos amarescentes deglutit, ast irritus vanusque est omnis labor, sanitatem pristinam recuperandi, et rebus adhuc magis adversis tandem 25. Novemb. vesperi clinicum accedit. Caput tenta-

tum; dolor in syncipite premens; facies turgida, rubra, calens; obtutus vivax; oculi splendentes, lucem aegre ferentes, lacrymis innatantes; nares perviae; labia rubra, lingua integra humescens, in disco muco albicante obtecta; halitus calens peculiarem odorem redolet; sapor amarescens; adpetitus prostratus, carnosorum imprimis aversatio; sitis aquam frigidam efflagitans; arteriae jugulares fortiter pulsantes; respiratio accelerata, secus normalis; tussis rara sputa fere nulla excutit; abdomen molle non expansum; in scrobiculo cordis et hypochondrio sinistro dolor pressivus, sub contrectatione adaugendus, a quo hypochondrium dextrum liberum aegra profitetur; extremitatum dedolatio; cutis universim turget madetque; alvus consistentiae mollis hodie quater subsequuta; pulsus frequens, fortis, durus, quidpiam contractus. Dcti. rad. alth. unc. sex, syrup. diacad. unc. semis. — Dctum. hord. c. sacch. p. potu. — D. 26. Nov. Noctem aegra inquiete transegit, crebris alvi evacuationibus expergefacta, quarum septem conditionis mollis et torminibus stipata subsequebantur. Febris symptomata cuncta adhuc perstant, imprimis molestiae gastrico-biliosae, oppressio nempe ventriculi et ructus amarescentes, levissimus meteorismus et multa in lecto jactitatio. Praeter hesterna linteamina insuper calefacta abdomini imponenda ad diarrhoeam sistendam. — Vesperi gravis exacerbatio, jam tertia hora pomeridiana exorta; diarrhoea et tormina ex fomentis silent. Infus. flor. verbasc. c. sacch. p. potu. — D. 27. Nov. Aegra de

nocte deliravit, vestes sui inscia deponens; post mesonoctium somnus valde inquietus et exigua epistaxis intravit. Hodie caput summe dolorificum; facies turget et rubet; lingua larga spurcitie flavicante inquinata; sapor magis amarescit; in regione tonsillarum dolor adcusatur, tumore tamen et rubore non conspicuo; respiratio ad normam; abdomen excepto epigastrio indolorificum, parvo tantum meteorismo inflatum; cutis admodum calida, sicca; excretiones alvinae sedatae; pulsus frequens, plenus, mollis; contractio arteriae quidpiam praedominatur. Cataplasmata emollientia ad abdomen; sinapismi ad suras; reliqua manent. Consueta exacerbatio vespertina quidpiam major. Instinctui fervido ut satisfaciamus, exhibuimus potum: Dcti. alth. lib. duas, succi citri unc. semis, sacch. albi dr. duas. Ulterior sinapismorum applicatio. — D. 28. Nov. Aliqua per urinas turbidas, jumentosas sat larga quantitate excretas molimina critica et inde totius morbi emendatio conspicua. Therapia immutata. — Sub exacerbatione vespertina aegra valida siti aquam frigidam anhelante vexatur et urinae novitus parciores saturate tinctae minguntur. — D. 29. Nov. Nox insomnis atque deliriis vividis confecta, tussim molestam, duas alviductiones conditionis mollis et urinas aurantiacas pellucidas adtulit. Nunc aegra summum dedolationis et aegritudinis sensum per totum corpus adcusans exhibet: caput temulentum; faciem calidam, rubram; oculos ad sensum nebulis obvelatos; linguam spurcam; deglutitionem levi do-

lore stipatam; scrobiculum cordis perquam sensile; abdomen quidpiam inflatum; cutim calidam siccam; sputa cruda; pulsum frequentem fortem, celerem. Mixturae supra ordinatae additur tart. emet. gr. semis; reliqua omnia manent. Vehemens exacerbatio vespertina: caput valde tentatum; calor ruborque faciei modicus; labia sicca, lingua flava, spurcitie obsessa; sitis imminuta; dolor sub deglutitione semper emergit; respiratio mox plane libera; oppressio et sensilitas epigastrii ad summum gradum evecta; meteorismi augmentum; coenaesthesis valde inamoene adfecta; cutis sicca; aestus non admodum excedens; pulsus valde frequens, celer, quidpiam suppressus. Inf. rad. ipecac. ex gr. octo ad colat. unc. sex, muc. gg arab. et syrup. simpl. aa unc. — Dtm. salep. c. sacch. p. potu. Linteamina calefacta ad abdomen. Hora octava vomitus vehemente cum nixu contigit, quo fluidum nigrescens expulsum fuit; postea alvus mollis; reliquam noctis partem insomnia et nausea multis vomituritionibus stipata occupavere. — D. 30. Nov. 1. Decemb. Character morbi gastricus praedominatur, reliqua morbi symptomata partim decrescunt partim immutata permanent. Augetur in mixtura ipecac. ad. scrup. — Vesperi exacerbatio levissima. — D. 2. Decemb. Nox iterum insomnis ad expiandas ventriculi turbas parum contulit, nec vomitu, neque crisibus in alio quodam atrio conspicuis; primo mane exigua materiae amarescentis quantitas per emesim excussa simulque levaminis quidpiam insequutum est. Nunc praedominante statu gastrico non

notabilis morbi mutatio. Therapia eadem. Vesperi labia arida, fissa; aegra aestum in penetralibus corporis adcusat, quin cutis temperatura excedente aut pulsu prodatur. Ordinantur sinapismi suris ad rubedinem usque adplicandi, aqua egelida p. potu. — D. 3. Decemb. De nocte vividissima iterum deliria intravere, agrypnia reliquam partem explente; susurrus aurium et tussis molesta; sputa cruda, spumantia propellens accessere; praeter vomitum mixturae haustu aliquoties provocatum etiam alviductio una consistentiae mollis contigit. Caput hodie temulentum; facies collapsa; parum calet rubetque; physiognomia vero peculiari modo alienata, cunctis lineamentis elongatis; aurium susurrus abiit; nares imperviae; labia arida; lingua valde spurca; sapor admodum papposus, amarescens; deglutitio dolore faucibus inhaerente praepeditur; respiratio nunc liberior; inspirium admittit profundum et tussi raro intercipitur; abdomen solitam epigastrii sensationem exhibet, quae ad dextrum usque hypochondrium propagatur, modico porro meteorismo tumescit, et percussum peculiari ratione, ac si fluidorum gurges inesset, resonat; coenaesthesis summo aegritudinis sensu adfecta, animi depressionem fere invincibilem parit; urinae profunde tinctae, pellucidae, pulsus frequens, sat fortis. Mixtura ex ipecac. eadem; potui acidi muriatic. oxygenat. drachm. immiscetur. Emplastrum vesicatorium ad hypochondrium dextrum. Dcti. alth. lib., succi liquirit. rec. press. unc. semis p. collutorio. Sinapismi ad femora. — D. 4. Decemb.

Aegra noctem quietius et alternatim somno transegit. Adspectus hodie non tam alienatus; saporis vero depravatio eadem, nec faucium dolores recessere; respirationis functio illaesa; abdomen vix inflatum ejusque sensilitas imminuta; sensus communis minus aegre adfectus; aestus interne modicus; cutis sicca, amoene calens; urinae pellucidae, profunde tinctae; pulsus inflammatorio magis accedens. Continuantur omnia, acid. muriat. oxygenat. faucibus inflammatis infensum omittitur. — D. 5. Decemb. Majorem noctis partem iterum inquietudine et agrypnia infestata aegra consumsit; alviductiones duae conditionis mollis successere. Vultus denuo tristior; oculi retracti; calor faciei quidpiam lividus; sapor adhuc amarescens; sitis nulla; dysphagia magna; sensus in abdomine inflato plenitudinis; capitis temulentia et summa totius corporis dedolatio excedunt; cutis sicca temperaturae normalis; urinae parcae profunde tinctae pellucidae; pulsus frequentia modica, reliquae qualitates fere ad normam. Praeter mixturam pulveres sex ex moschi orientalis opt. grano uno, sacch. albi scrup. — Dtum. malvae pro collutorio. — D. 6. Decemb. Placatur nervorum erethismus, nisus in characterem neuropathicum decrescit, statu gastrico-bilioso praedominante. Omittuntur pulveres, reliqua manent. — D. 7. Decemb. Caput liberum indolorificum; facies hilarior; oculi lucem impune ferentes; lingua in margine purior, in disco large obtecta, tota humescens; sapor fere idem perversus; appetitus vero aliquomodo reviviscit et

quidem in pruna cocta dirigitur; deglutitio minus impedita, respiratio ad normam; abdomen levissimum prodit meteorismum, nullaque sensilitate infestatur; cutis in transpirationem proclivis modice calet; alvus non deposita, urinae sat largae, turbidae, jumentosae; pulsus paulo frequentior, sat fortis et magnus, bene evolutus, dedolatio atque dysphoria nondum cessavere. Mixt. ex extr. taraxac. unc. semis, salis ammoniac. gr. decem; aq. flor. tiliae unc. sex, aquae flor. naphae, syrup. capillor. vener. aa unc. semis. — Decoct. salep. p. potu. — D. 8. et 9. Decemb. Ex crisibus continuantibus major in dies emendatio emergit, etiamsi aliqua symphoreseos ad encephalon signa ex alvo constipata adsint. Inf. senn. c. mann. unc. duae, syrup. simpl. uncia. — D. 11. Dec. Meteorismus nullus, lingua in dies magis depuratur, urinae criticae, dedolatio adhuc corporis. Ex hoc tempore usque ad 27. Dec. segne morbi decrementum. Valido systematis nervosi erethismo crises hinc inde intercipiuntur. Aegra per aliquot dies reconvalescentiae proxima in deteriorem relabitur morbi statum, ex quibus mitia encephalosymphoreseos signa, anomaliae in sapore et digestione, praeprimis vero alvi stypsis pertinax eminebant, quibus iterum evanidis, morbus lente decrescit. Pro rerum adjunctis caryophyllata, electuarium lenitivum, clysmata aperientia, sal Glaub., tinct. rhei aquos. et centaur. minus, lotiones cutis adhibentur. Tandem 27. Decemb. ex nimis protracto morbo sat debilitata et emaciata re-

convalescens declaratur. Abhinc mixt. ex cent. minor. et tinct. rhei continuo in usum trahitur. Verum vero sub tanta in injurias externas suscipiendas proclivitate nec reconvalescentia turbis immunis permansit. — D. 9. Jan. Aegra horis promeridianis cephalaea in regione frontali et temporali obtusa, oppressione pectoris modica atque doloribus lancinantibus in femore sinistro lectum petere cogitur. Sub visita vespertina cephalaeam adhuc perstantem adcusat; dolores femoris tepore lecti mitescentes; sitim magnam, aquam frigidam petentem. Thermogenesis in toto corpore adaucta et pulsus frequens, fortis, plenus febrem reducem prodidere. Seposito amaricante ordinatur dtum. alth. c. inf. liquirit. — D. 10. Jan. Per noctem quam somno transegit, multo sudore aegra madebat; cephalaea sitisque imminuta et cutis temperatura moderata irritationem febrilem jamjam mitiorem portendunt; oppressio pectoris plane nulla et dolores in femore evanuere; pulsus tamen adhuc frequentior normali. Vesperi exacerbatio febrilis iterum contingit, quae horripilationibus totum corpus percurrentibus stipatur et dolores rheumatici in crure sinistro denuo emergunt. Alvus ex heri silet. Dtum. alth. unc. sex, sal. Glaub. dr. duae, syrup. mannat. unc. semis. — Dtum. alth. c. inf. liquirit. p. potu. — D. 11. Jan. Symptomata febrilia consueto more remittunt, cephalaea vero non penitus abacta, dolores isti lancinantes modo nusquam percipiuntur, appetitus reviviscit; alvus

nondum subsequnta. Cardialgia ex sale Glaub. Substituuntur tart. tartarisat. dr. tres, quibus vespere electuarii lenit. unc. adjicitur. — D. 12. Jan. Noctem aegra somno explevit et hodie praeter pulsus frequentiam fere nil morbosi offert. Resumitur methodus roborans. Extr. tarax. dr. duae, aq. flor. tiliae aq. semin. foenic. aa unc. duae. — D. 15. Jan. Erethismo nervorum et imbecilli digestionis officinae intensior opponitur therapia. Extract. centaur. minor. dr. semis, aq. flor. tiliae, aq. seminum foenic. aa unc. duae, tinct. rhei aquos. uncia. Serius tandem princeps roborantium Dctum cortic. peruviani ex dr. duabus ad colat. unc. quatuor, tinct. rhei. aquos., syrup. cortic. aurant. aa uncia. Hac mixtura a 21. Jan. usque ad 30. utebatur fausto cum eventu, ita quidem, ut 31. Jan. valetudine recuperata, et viribus sat restauratis nosocomii claustra excedere, et ad consuetas vitae conditiones redire valuerit.

Febris nervosa lenta.

Pyrobolanus 25 annorum, constitutionis debilis, habitus gracilis, temperamenti cholerico-sanguinei, catarrhos saepe saepius passus est. — D. 19. Octob. ex vigiliis vento undique perviis domum reversus insultu angitur febrili, cui mane remittenti catarrhus narium, laryngis et pulmonum socius accedit. Medicus, cujus opem imploravit, potum theatum exhibet, quo exhausto mox vomitus materiae flavicantis et fluidae

subsequitur, quin aeger levamen aliquot inde persensisset. Morbo increscente 4. Novemb. in nosocomium missus, diversis remediis, sale Glaub., nitro, sale ammoniaco, tart. emet., camphora, liquor. mineral. Hoffmanni et moscho, vesicantibus et sinapismis sine successu tractatur. Tandem die 23. Nov. ad vesperas in clinicum suscipitur: facies collapsa, oblongata indifferentiam exprimens; oculi splendentes erga lucem quidpiam sensiles; genae rubore circumscripto notatae; nasus et labia sicca; lingua sicciuscula in superficie albescens non tremula; appetitus prostratus; sitis valida vinosa expetens, aquosis quoque fallenda; pectus in latere dextro ad processum xiphoideum protuberantiam exhibet parvam; respiratio citata, brevis, sublimis, facile tamen perficienda; respirium profundum conceditur sine tussi et doloribus; tussis rara, omnis laboris expers, sputis seroso-mucosis coronata; abdomen molle, tractabile, quidquam tantum volumine auctum; pulsus aequalis, citatus, parvus, mollis, debilis, facile comprimendus; cutis caloris sani, leviter transpirans ad nucham et suras laesionem sui offert per vesicantia et sinapismos inductam; urinae largae, rubrae, turbidae; alviductiones fluido-molles, non foetidae; tandem deliria placida, mussitantia et debilitas universalis. Dto-infus. ex rad. alth. semiunc. et pulv. rad. ipecacuanh. gr. octo ad colatur. unc. sex cum mucilag. gg arab. et syrup. simpl. aa unc. semis p. mixtura. Decoct. salep. c. sacch. p. potu. — Sinapismi ad suras. — D. 24. Nov. continuant deliria placida.

mussitantia, facies oblongata, collapsa, alienata; visus languidus; genae rubrae circumscriptae; nasus, labia et lingua sicca, impura; sitis valida, spirituosa anhelans; respiratio citata, ast facilis, sublimis; inspiratio profunda facile conceditur; nulla tussis; abdomen expansum, meteoristicum nullibi dolorificum; urinae parcae, flavo-rubrae, turbidulae; alvus per noctem semel mota conditionis fluido-mollis; pulsus frequens, innumero proximus, variabilis; cutis caloris sani modice transpirat. Dcto. inf. ex rad. colomb. et valerian. aa drachm. duab. ad colat. unc. octo, syrup. diacod. unc. p. mixtura. Moschi orient. optimi granum, sacch. alb. gr. decem in partes quatuor divid. Decoct. salep cum sacch. alb. p. potu. — Vesperi nulla peculiaris morbi mutatio. — D. 25. Nov. Maxima noctis pars deliriis placidis, reliqua tranquille dormiendo peracta; alvus fluida et foetida bis mota et post mesonoctium sudores modici. Increscunt symptomata nervosa, praesertim abdominis nullibi dolentis meteorismus. Decoct. inf. ex cort. chin. flav. semiunc. rad. valerian. dr. duab. extract. rad. colomb. dr. semis, syrup. diacod. unc. — Repetuntur pulv. ex moscho. Potui hesterno elixir. acid. Haller. gr. decem adjunguntur. — Ad vesperas sudores intrant universales ad decimam horam perdurantes, quibus evanidis aeger per duas circiter horas somno indulget, ex quo evocatus placide delirat, ast non adeo crebro uti de die; alviductiones fluidae et multum foetentes bis deponuntur. — D. 26. Nov. Symptomata affectionem nervosam

testantia quidpiam recedunt; abdomen enim minus tympaniticum; deliria rariora, breviora; pulsus tamen parvus valde frequens, debilis et perquam facile comprimendus; urinae bruneo-rubrae, sat largae. Augetur in mixt. cortex peruv. ad unciam, cui insuper rad. acori dr. duae et elixirii acid. Haller. scrup. adduntur. — Moschus ad gr. quatuor. Dct. salep. sesquilibra, vini austriaci generos. libr. semis, sacch. albi unc semis p. potu. Dct. salep concent. libr. semis, amyl. p. dr. duae et vitell. ovor. Nro. tres p. duobus enematibus. — Vesperi virium augmentum in systemate circulatorio conspiciebatur; facies rubebat; oculi erant vivaces; lingua sicca et rubra, carni siccae similis; sitis magna; abdomen minus meteoristicum; cutis calida turgida; pulsus valde frequens comparando cum matutino evolutus, quoad fortitudinem sano ferme similis censendus. — D. 27. Nov. Nox insomnis; deliriis vivacibus transacta; alvus fluida. Nunc mentis perturbationes percrebrae et sub ipso responso intercurrentes; reliqua nervosa fere eadem insigniuntur intensitate excepto meteorismo, qui imminutus est. Debilitas imminuta quidpiam; aeger valet jam solus sub modico auxilio corpus erigere. Dtum ex cort. peruv. rud. tus. unc., elix. acid. Haller. scrup., syrup. cinnam. uncia. — Dtum salep c. elix. acid. Hall., syrup. p. potu. — Moschus ad gr. tria. Enemati hesterno tinct. anodyn. drach. semis adjicitur. — D. 28. Nov. Deliria sat crebra exiguam noctis partem somno concedebant. Alvus per noctem bis subsequuta fluida,

odoris foetentis. Mane major faciei collapsus, alienatio, oculorum languor, in aure sinistra susurrus; parotis ejusdem lateris tumidula, sub adtactu dolorifica, lingua sicca in medio brunescens; nasus et labia arescunt; respirium profundum facile conceditur, hinc inde tussis irruit cum ejectione sputorum muco remixtorum non difficili; meteorismus idem; cutis modice sudans; pulsus parvus, frequens, debilis, quidpiam inflatus; urinae sat largae pallidae; majus virium augmentum. Dtum. ex cort. peruv. unc. polyg. seneg. dr. tribus ad colat. unc. sex, extr. rad. colomb. dr. semis, elixir. acid. Haller. scrup., syrup. cinnamom. uncia. — Enema., pot. et pulveres ex moscho uti heri repetuntur. — Etiamsi aliqua exacerbatio vespertina praesto fuisset, tamen character febris nervosus imminui et catarrhosus reviviscere observabatur. — D. 29. Nov. Potior noctis pars somno tranquillo dicata; deliria rarissima; alvus nulla deposita. Aequali, qua character nervosus recedit ratione, pristina morbi natura catarrhosa evigilat; continuant, quae jam coeperunt crises, benignae per diuresim, diaphoresim, parotitidem. Therapia hesterna; emplastrum vesicatorium insuper ad pectus. Vesperi symptomata nervosa praeter meteorismum valde consopita, functio mentis ex toto illaesa, deliria nulla, aeger ex toto hilarior reperiebatur. — D. 30. Nov. Facies non adeo collapsa, magis composita; lingua et labia potiore e parte emundata; sitis modica, appetitus reviviscere incipit; parotis tumidula, flu-

ctuans tangitur; respirium facile; sputa cocta, abdomen minus meteoristicum; pulsus volumine increscit, fortiorve evadit; cutis normaliter calet et transpirat; alvus semel mota pultacea; urinae copiosissimae ad tres circiter lagenas e flavo-rubrae, turbidulae; vires aegri valde refocillatae. Therapia eadem, potus uti 26. Nov. Abscessus parotidis punctus exiguam puris boni quantitatem plorat et sollerter linteo carpto deligatur. — D. 1. Decemb. Morbus omnis cujus solutio frustra ex biduo affulsit, in crisibus salutiferis peragendis inhibetur, atque in tristiorem relabitur vultum ac inimiciorem. Recrudescunt symptomata nervosa, praeprimis encephalon et abdomen spectantia. Dtum. ex cort. peruv. unc., polyg. seneg. semiuncia ad colat. unc. sex, elixir. acid. Haller. scrup. et syrup. cinnamom. uncia. — Emplastrum canthariḋ. ad pectus; pulvis ex moscho et potus idem repetuntur; juscula vinosa. D. 2.—3. Dec. Nox insomnis. Facies magis alienata, contristata; oculi languent; lingua humida, villosa; sputa cocta, sero et sanguine dissoluto mixta; respiratio tamen facilis; abdomen meteoristice expansum; cutis in extremitatibus frigida; pulsus fere innumerus, vix tangendus; urinae minus largae e rubro-flavae; decubitus ad os sacrum et trochanterem dextrum, magnitudinem nucis majoris aequans. Dcto-infus. ex cort. peruv. uncia, polygal. seneg. semiuncia, rad. angelic. drach. tribus, elixir. acid. Hall. scrup., syrup. cinnamomi uncia. — Moschi et. camph. ras. $\overline{aa}$ gr. sex, sacch. albi drach.

in sex partes divid. — Mucilag. gg arab. unc., camph. ras. scrup. p. deligatione decubitus; reliqua manent. — D. 4. Dec. Nox quietior; alvus sat larga, pultacea; facies minus alienata; oculi adhuc languent; lingua humida adhuc in medio villosa; sitis valida vinosa anhelans; labia humida utcumque pura; respiratio facilis; abdomen minus meteoristicum; cutis utique normaliter calet et aliquantulum transpirat; pulsus valde frequens, parvus, mollis, et tantillum fortior ac heri; urinae largissimae sedimentosae; vires aegri adhuc dejectae. — D. 5. Dec. Facies magis composita, oculi minus languidi, lingua potiore e parte depurata; sputa cocta sub tussicula rara ejiciuntur, abdomen modice meteoristicum; cutis mollis, aequabiliter calens, transpirans; pulsus magis evolutus; vires aegri increscunt. Continuatur therapia. — Vesperi et die subsequente rapidior symptomatum nervosorum recessus et virium insurgentium evigilatio. Solvitur morbus per sputa, alvum, urinas et sudores ita ut 8. Decemb. omnia fere symptomata morbosa excepto levi meteorismo et pulsuum frequentia disparuerint. Omittitur ex mixtura angelica, restringitur moschus et camphora ad grana tria. — D. 10. Dec. Facies composita, hilaris; oculi vivaces; lingua humida, pura; sitis normalis; sputa pauca, cocta, sine tussi ejicienda, meteorismus levissimus; pulsus minus frequens ac debilis, cutis quoad omnes qualitates normalis; urinae mejuntur largissimae, limpidae, coloris straminei; decubitus recedit; vires

in tantum recreatae, ut aeger solus se erigere valeat. Febre nervosa ex integro dispulsa ordinatur: Decoct. inf. ex cort. peruv., rad. acori $\overline{aa}$ dr. duabus ad colat. unc. sex, elixirii vitriolat. Mynsichtii scrup., syrup. cinnam. unc. — Dtum. salep cum vino. p. potu; reliqua praeter deligationem decubitus omittuntur. Sub hoc tractamine ultima febris nervosae residua fugantur et aeger die 15. Dec. reconvalescens declaratus, medicamentis sensim restrictis et tandem omissis sub diaeta largiori et restaurante pristinum virium vigorem ac robur recuperat et 8. Januarii clinico valedicit.

Febris nervosa cum ileitide, subsequente encephalitide.

S. M. Decadarrhus, in Austria a parentibus sanis genitus, 27 annorum, temperamenti cholerico-sanguinei, constitutionis laudabilis, habitus sat robusti, infans variolas, in 5. aetatis anno febrem, ut ait, nervosam feliciter exantlavit, et stipendia faciens militaria, respirationis difficultatibus saepe saepius laboravit. — D. 1. Februar. saltatione nimia exaestuatus, refrigerium admisit, unde vocem raucam et spiritus angustias sibi contraxit. Valetudinarius omni regimine neglecto 6. Febr. in novam irruit refrigerationis occasionem. Ex signis febris inde evolutae gastrico-catarrhosae alvifluxus indomitus primas tenebat partes, et mox adeo se exhibuit exitialem, ut aeger 9. Febr. consilium ceperit, nosodochium ad-

eundi. — D. 12. Febr. in clinicam susceptus est tractationem: — Cephalaea frontalis pressiva; vertigo; conscientia turbata; mentis distractio cum loquacitate; aurium susurrus; oculorum splendor; quidpiam turgor ruborque faciei; siccitas narium; lingua sicca, hinc inde fissa, muco uti dentes, fusco tecta; sitis clamosa, frigida expetens; sapor limosus; vox rauca; pectus undecunque bene conformatum; respiratio accelerata, quidquam abdominalis, profunda, dolores pressivos in latere dextro excitans; abdomen meteoristice inflatum, sensile; sub rudiore contrectatione in regione iliaca dextra dolores lancinantes, pungentes, fixi; cutis sicca, calor ad mordacem accedens; alvus frequens, fluida; pulsus frequentes, facile comprimendi, aequales, inflati. Dto. infusum ex rad. arnic. drachm. duabus et rad. ipecacuanh. gr. decem ad colatur. unc. sex cum camphor. mucilag. gg arabic. subact. grano, sal. ammoniac. depurat. gr. decem et syrup. diacod. semiuncia. — Emplast. vesicatorium regioni iliacae dextrae imponendum. — Dtum. salep cum sacchar. p. potu. — D. 13. Febr. Nox quiete sine deliriis transigebatur. Vesicans, magna bulla tracta dolorum iliacorum induxit lenimen. — Mane aperta febris remissio. Per diei decursum aeger hinc inde placide delirans, conscientia tamen perstante, interrogatus non perverse aut incongrue respondet. Ad vesperas primitivum characterem, nempe inflammatorium recuperare adnititur natura. Susurrus enim aurium plane evanidus; oculi splenden-

tes, fere vivaces; facies rubens, turgens calensque; lingua in marginibus humidiuscula, secus sicca, minus spurca; sitis modica; sputa cinereo-flavicantia; respiratio laboriosa, profunda sine doloribus conceditur; abdomen minus inflatum et sonans, attactum rudiorem perferens; cutis sicca; temperatura adaucta, tactu grata, per totum corpus aequabiliter diffunditur; pulsus frequentes, duriusculi; alvus quinquies, conditionis serosae, coloris e flavo - viridescentis seposita; urinae purpuraceae. Therapia hesterna. — Ad mesonoctium usque aeger somno quidem spoliatus, valdeque per universum corpus sudans, tamen in lecto quiete jacuit. Hora autem duodecima elapsa, vivide atque atrociter sub continuo aufugiendi conamine delirare incepit; furibundi adinstar tantam virium muscularium intensitatem explicavit, ut vix adstantium conaminibus in lecto retineri potuisset. — D. 14. Febr. Facies quidquam alienata, turget, rubet, genae rubore intensiore insignes; caput temulentum, susurrus aurium; oculi splendentes; lingua rubra; sitis aucta, in acidula directa; arteriarum jugularium sanguine scatentium frequens fortisque pulsatio; respiratio valde laboriosa, citata, anhelosa, paulisper abdominalis; spiritus ob muci colluviem in arteria aspera et bronchiis haesitantem, hinc inde retardatus; inspiratio profunda vix concessa; oppressio pectoris major ac abdominis meteorismus; cutis, ad transpirationem pronae, temperatura aucta; pulsus normalibus frequentiores, debi-

les, inflati; conditio alvi hesterna; urinae turbidae cum sedimento furfuraceo. Dtum. ex rad. polygal. seneg. dr. duabus ad colat. unc. sex cum sal. ammoniac. depurat. gr. decem, camphor. muc. gum. arab subact. grano, et syrup. diacod. semiuncia. — Dti. salep. lib. duae, acid. sulphur. dilut. drachma, sacchar. alb. semiunc. pro potu. Emplast. cantharid. ad pectus imponendum. — Quarta post meridiem hora morbus immanibus encephali inflammati et sanguinis ad pectus congestionum signis terrorem incutit. Terrent functionum mentalium perturbationes, deliria furibunda, continua lectum deserendi conamina, musculorum vires invalescentes, caloris, ruboris turgorisque faciei incrementum; arteriarum temporalium pulsatio vehemens, pupillarum contractio, nec non respiratio laboriosa cum summo suffocationis metu. Abscinduntur capilli, imponuntur fomenta glacialia, brevissimis interstitiis renovanda; applicantur in regiones temporales hirudines duodecim. Nullum subsequitur ex therapia levamen, imo morbus continua capiens incrementa totam per noctem spectaculum offert horrendum. — Neque D. 15. Febr. vis morbi infracta spectatur, imo symptomata cephalica et pectoralia tantam offerunt ferociam, ut apoplexia et suffocatio vix procul credatur. Infus. ex flor. arnic. dr. duabus ad colat. unc. sex, cum tart. emet. grano et syrup. simpl. uncia. Emulsio amygdalina nitrata pro potu. Emplastrum vesicans inter scapulas; fomenta glacialia ad caput. Dti. spec. alth. unc. sex, olei

olivar. unc. duae, sal. amar. uncia pro clystere. Hirudines medicinales Nro. sedecim partim ad tempora, partim retro aures. — Sub tanto morbi tumultu hora undecima pulsus vix tangendus fuit. — Ast circa meridiem, omnibus remediis in usum tractis sub flatuum eruptione vehementi borborygmisque multum strepitantibus alvi secessus bis, terve, conditionis fluidae, parum foetentis, coloris e flavo-grisei contingit, et molestiarum cephalicarum et pectoralium levamen inducitur. — Circa vesperas e somno placido expergefactus, congrue interrogationibus respondet aeger, nullibi dolores accusat, hinc inde placide delirans. Plagae ex vesicante excoriatae unguento simplici deligantur. Mesonoctio elapso per totam corporis superficiem tam profusa intravit transpiratio, ut — d. 16. Febr. mane indusium integrum sudore nares perquam penetrante irroratum inveniretur. — Caput vertiginosum, tentatum; lusus phantasiae nonnunquam placide irruentes; facies madens calensque, leniter rubra; labia nec non dentes pertinaciter conspurcata; sitis valida, in acidula directa; respiratio liberior, non tam citata, neque stertorosa; sputa coctis non absimilia; abdomen inflatum, pro parte collapsum, minus dolens; cutis mollis, transpirans; calor amoenus; pulsus minus frequentes, ad fortes declinantes; urinae largae cum hypostasi furfuracea. Eadem therapia exceptis hirudinibus et clystere. In mixtura dosis tart. emet. augetur ad granum unum et semis. Instinctui ferventi potu acidulo satisfit. Aq. font. libr. duae, acid.

sulphur. dilut. drachma, sacchar. alb. semiuncia. — Vesperi modica exacerbatio cum signis cephalicis exsuperantibus; quae nocte hesterna inchoaverunt crises, etiam hac per sudores, alvum et urinas, procedere pergunt. — D. 17. Febr. Deliria placida rarius prorumpentia; rerum praeteritarum reminiscentia; caput vertiginosum; nares humidae; facies hilaritatis signa prae se ferens; sitis imminuta; appetitus reviviscens; respiratio quidquam citata, laboriosa, profunda sub sterni manubrio dolorem ciens; tussis frequens cum exscreatione sputorum crudorum, hinc inde coctorum; abdomen nonnisi sensile, modice inflatum; regio iliaca dextra pressionem perfert rudiorem; pulsus frequentia normalibus accedentes, attamen molles. — Therapia eadem. — Sic etiam vesperi signa exacerbationis exigua, characterem nervosum recedentem, affectionem encephali infractam, ileitidem fere evanidam, ast characterem morbi primarium, inflammatorio-catarrhosum revertentem denotavere. — D. 18. Febr. Nulla peculiaris mutatio; nox ob insultus tussis frequentes inquieta. — D. 19. Febr. Facultates mentis immunes; caput liberum, tantum sub erectione trunci quidpiam vertiginosum; obtutus vividus; facies modice turgens calensque; sitis modica; nares quidquam obturatae; respiratio citata, laboriosa; tussis molesta, crebra; sputa tenacia, flavicantia; inspirium profundum concessum; abdomen indies magis collabitur; cutis grate calens et transpirans; pulsus frequentiores sanis, fortes, pleni, quidpiam

tensi; urinae sat largae. Dtum. ex rad. arnic. et polygal. seneg. āā drachm. duabus ad colat. unc. sex cum tart. emet. gran. et syrup. com. uncia. Dtum. salep cum syrup. rubi idaei p. potu. Fomentationes capitis frigidae omittuntur. — D. 20. — 23. Febr. Lenissima febris nervosae signa, omnis vis morbi derelicto encephalo et abdomine in pectus refunditur. Facies emaciata, quidpiam lurida; respiratio citata, laboriosa unduosaque; sensus titillationis sub inspirio profundo infra sternum excitandus; tussis frequens, sputa crassa ex albido flavicantia puriformia cum frustulis coloris griseo-flavi, odoris inamoeni intermixta, verosimiliter ex vomica rupta procedentia; cutis laxa, pallida, sudore nocturno madens et modice exaestuata; musculi nec non textura cellulosa, emaciati. Inf. dect. ex lichen. island. et rad. polygal. seneg. āā dr. duabus ad colatur. unc. sex cum sacch. alb. semiuncia. — Linctus simplex. — D. 24. Febr. Continuant crises per diuresin, diaphoresin et alvum. Character nervosus evanidus; suspicio destructionis in pulmonibus factae magis confirmari videtur. In mixtura polygal. seneg. omittitur, lichenque islandicus in decocto ordinatur. — D. 29. Febr. Febris in summo decremento, pulmones prae ceteris captae visuntur; respiratio enim adhuc quidpiam citata; levis dyspnoea, dolores leviter prementes, sed sputa minus suspiciosa, utpote globosa, flava, coctis accedentia. In therapia nulla mutatio. — D. 1. Mart. Facies laeta; lingua humida, muco albicante tecta; respiratio citata, laboriosa; inspirium

profundum non concedens; dolores latus pectoris dextrum permeantes adaucti; latus thoracis dextrum, si manu percutitur sonum altum; sinistrum sonum profundum edit. Febris levis, se-et excretiones reliquae normales. Nova alitur vomicae venturae suspicio. Exhibetur Dto. infus. lichen. island. cum sero lactis dulci et syrup. simpl. — Vesicans ad pectus. — D. 2. Mart. Bulla ex vesicante formata dolores in pectoris parte dextra quidem evanescunt, ast recentes latus occupant sinistrum, quibus iterum evanidis sensatio dolorifica sub sterno percipitur. Therapia immutata relinquitur. — D. 3. Mart. Motus febriles nulli; respiratio minus laboriose citateque, attamen inaequaliter, utpote lateribus, insimul abdomine magis ac media pectoris parte, peragitur; inspirium profundum, quin dolores excitentur cum aliqua intentione concessum. Situs lateralis tussim, nec non dolores pectoris adauget, hinc dorsalis modo observatur; tussis rarior; sputa coctis accedentia, flava, maximam partem confluentia. Potus, linctus cum mixtura repetitur. — D. 4. Mart. Tussis rarior; sputa figurata, parca, nequaquam suspiciosa; respiratio nec citata nec laboriosa, neque tandem abdominalis; dolores mitescentes. — Subsequentibus diebus respiratione sensim normali accedente, suspicio de pulmonum destructione imminuebatur ita, ut — d. 8. Mart. vitiis respirationis pacatis; doloribus pectoris evanidis; tussi rarissime insultante; sputis parcissimis, nequaquam suspiciosis; digestione et assimilatione vividis, et excretionibus sana-

rum adinstar procedentibus, aeger reconvalescens nuncuparetur. — D. 14. Mart. Omnibus ceteris omissis dtum. lichen. island. cum syrup. simpl. continuabatur. — Cauto corporis motu, mora coelo favente in aprico, et diaeta restaurante vires morbo detritae adeo restituuntur ut aeger ultima Martii ad lares suos redire desideraverit.

3. Febris putrida.

Cujus casus sequens observabatur.

Febris catarrhosa cum pleuritide rheumatica, superveniente febri putrida.

Miles rei vehiculariae gregarius, 32 annorum, habitus athletici, temperamenti sanguineo-cholerici, decimo aetatis anno variolas, undevigesimo febrem intermittentem perpessus est. Die 16. Jan. ex officiis domum reversus, frigore, subsequente aestu, cephalaea et siti dein sudore et doloribus in latere pectoris dextro pungentibus invaditur. D. 18. Jan. in clinicum adfertur: Cephalaea frontalis, distendens; facies turgida, rubra et calida, vultus hilaris; animi facultates immunes; oculi lacrimis innatantes splendent; nares, os, ac labia sicca; lingua muco albicante tecta; sapor subamarus; sitis aquam frigidam efflagitans; deglutitio libera; respiratio aequalis, modice citata; inspirium profundum denegatum, dolorem in latere pectoris dextro provocat pungentem, sub motu adaugendam; situs in omni latere conceditur; abdo-

men callapsum, molle; cutis sicca, calida; pulsus normali frequentior, fortior; alvus ex heri silet. Dct. rad. alth. unc. sex, arcan. dupl. dr. duae, syrup. samb. unc. — Emuls. amygd. libr. duae, nitr. dep. semidrachm. p. potu. — D. 19. et 20. Jan. Remissionibus morbi matutinis vix conspicuis morbus increscit. — Vesperi cephalaea aucta; facies magis turget, rubet et calet; oculi lacrimis suffusi; respiratio citata; inspirium profundum intensioribus doloribus thoracis dextri comitatum; fascia brachii superioris dextri irritationis rheumaticae jam particeps; inde dolores pungentes, lancinantes in superiore brachii parte; sed non solum fascia sed etiam musculus biceps vere inflammatus esse videtur, quod tumor musculi formam referens, dolor in profundo lancinans, fixus et calor intensus sat comprobant, rubore in cute etiamsi non conspicuo; sic etiam in regione meso- et hypogastrica dolores rheumatici; cutis amoene calens, sudans; pulsus vix normali frequentior, fortis, duriusculus; alvus non mota; urinae parcae, aurantiacae cum hypostasi flavescente. — D. 21. Jan. Febre vix intensiori inflammatio rheumatica in fasciam antibrachii proserpens intensitate quoque augescit; sudores largissimi; alvus ex pridie non deposita. Augetur arcan. dupl. ad drachm. tres et syrup. samb. mannatus substituitur. Cataplasmata ad brachium dextrum emollientia. Ad vesperas validissima febris exacerbatio cum notabili dolorum in pectore, abdomine et brachio augmento. Hirudinum

medicinalium Nro. 10; unguentum simplex pro deligatione; in reliquis pergebatur. — D. 22. Jan. Sudores de nocte largissimi; alvus conditionis fluidae semel mota; urinae parcae, profunde tinctae. Nunc praeter aliquam dolorum mitigationem, hirudinum suctu inductam, nulla mutatio. Therapia exceptis hirudinibus eadem. Exacerbationem morbi vespertinam jam tertia hora intrantem prae caeteris dolorum in brachio dextro pulsantium augmentum, tumor, rubor et calor luculentior manifestant. Hirudines quindecim et fomenta frigida ad partem dolentem ordinantur. — D. 23. Jan. Aequali ratione, qua inflammatio in brachio dextro rheumatica increscit, dolores in pectore et abdomine rheumatici decrescunt. Therapia eadem adhuc quadrat. Fomenta glacialia. Sub accessu vespertino morbus exacerbatus doloribus brachii superioris mitescentibus eamdem in genu sinistro passionem sternere molitur. — D. 24. Jan. Pergit systematis sanguiferi exagitatio. Pleuritis in summo decremento, sic aeque myositis tricipitis in suppurationem versa minorem offert intensitatem; abdomen penitus indolorificum; genu vero sinistrum magis ac heri tumet, calet ac dolet, in omnem adtactum valde sensile. Se- et excretiones omnes crudae absque crisium indiciis. Fomentationes brachii dextri cum dcto. malvae, fomentationes genu sinistri frigidae, in reliquis nulla consulitur mutatio. — Exacerbatio vespertina potiorem suam vim in genu sinistrum refundit. Hirudines viginti ad genu sini-

strum applicantur. — D. 25. Jan. Sudores de nocte uti consuetim profusi; alvus fluida ter deposita. Nunc omnis remittit aegritudo, imo affectio genu sinistri rheumatica quidpiam infracta cernitur. Therapia eadem nisi quod genu sinistrum linteo tepido involvatur. — Ad vesperas morbus licet modice irritatus pedis sinistri dorsum et plantam versus phalanges rheumate plectit. — D. 26. Jan. Dolores rheumatici ad alias pedis plagas vagantur; illi in brachio dextro pulsant. In regione partis sinistrae subclaviculari incipiens furunculi formatio; febris adhuc sthenica. Dct. rad. alth. unc. sex, nitr. dep. scrup., tart. emetic. gran., syrup. mannat. unc. — Potus idem. Hirudin. medicinal. Nro. 15 suctum in brachio dextro admittuntur. — Exacerbatio vespertina consueta, doloribus secundum decursum tendinis achilleae intensis insuper stipata. — D. 27. Jan. Nulla remissio matutina diebus praeteritis solita, imo potius febris characteris phlogistici valida. Furunculus in regione subclaviculari in exitum nititur, eadem affectio in regione subscapulari subintrat; dolores ad tendinem achilleam aucti. V. S. ad unc. decem; cataplasmata ad brachium suppurans emollientia; mixtura et potu iisdem. Levamen post V. S. praeprimis in affectionibus localibus conspicitur. Sanguis missus de vera ejusdem phlogosi testatur. — Exacerbatio febris, affectionibus topicis mitescentibus, ad vesperas solito major. — D. 28. Jan. De nocte aeger insomnis increscentes sensim in brachio, genu et anteriore pedis sinistri parte dolores persen-

sit; sudor quoque majori prorupit quantitate. — Mane facies sudori fere innatans valde turget, rubet et calet; caput valde vertiginosum, oculi obnebulati; susurrus aurium; nares, labia, lingua siccae; sitis valde aucta; respiratio anxia; sensus oppressionis in pectore; vehemens animi inquietudo; dolores rheumatici quicumque valde mitigati, evanidi, exceptis his qui tendinem achilleam tenent. Exitus furunculorum factus videtur. In interna brachiorum plaga vesiculae fluidum limpidum continentes, magnitudinis grani milii, visum fere fugientes (milliaria crystallina) aliae rubrae profunde tinctae et quidquam prominentes, lentis magnitudinis (milliaria rubra) aliae ejusdem magnitudinis, basi rubrae insidentes vesiculae flavae, lympham puri similem abscondentes, limbo rubro cinctae (milliaria purulenta); pulsus normali frequentior, fortior, duriusculus; cutis calens et sudans; alvus non mota; urinae parcae flavescentes. Therapia excepta V. S. eadem. — Sub exacerbatione vespertina in facie exanthema prorumpit. — D. 29. Jan. Ex heri aliqua mutatio; nisus in somnum; animi dejectio; milliaria purulenta in facie et pectore; segnis ceterum eorumdem eruptio; dolores rheumatici penitus evanidi, tarso pedis utriusque excepto, qui tumet, calet, dolet; pulsus valde frequens, debili proximus. Dcti. rad. alth. unc. sex, camph. muc. $\overline{\overline{gg}}$ arab. subactae gr. duo, nitr. depur. scrup., syrup. mannat. unc. — Sinapism. ad suras. Potus idem. — Exacerbatio vespertina. — D. 30.

Jan. Nox frigore et calore alternante et deliriis transacta. Nunc erysipelas ad palpebram, genam et alam nasi dextram; in capillitio utriusque lateris tumores inflammatorii; animi tristitia; pectus eadem offert symptomata; abdomen meteoristice expansum non dolens; milliaria in interna brachii dextri facie, dextro thoracis et abdominis latere numerosissima et crystallina et purulenta; rubra fere disparuere; pulsus inter debilem et fortem fluctuans. Alvum aeger sui inscius uti et urinas in lectum misit. Augetur camphora ad gr. tria. Sinapismi ad plantas pedum. Emplastrum cantharidum ad nucham. — Sub exacerbatione vespertina milliaria ferme evanescunt et erysipelas faciei ad aliud latus proserpit. Sinapismi ad suras. — D. 31. Jan. Nox sopore transacta. Erysipelas grande omnem fere faciem occupat; nares fuliginosae; reliqua in facie, pectore et abdomine eadem. Versus sinistram cubiti plicam plaga cum inflammatione erysipelatosa ad palmam manus extensa, coloris violacei, tuberibus pisi magnitudinis consita observatur. Milliarium parva vestigia; pulsus admodum frequens, debilis; cutis arida, ardens; urinarum et alvi excretio involuntaria. Substituuntur dcto. alth. infus. ipecac. e gr. duodecim parat. unc. sex; cum camphora ad gr. quatuor ascenditur. Sinapismi ad internam femorum faciem. Vesicantia ad illam brachiorum. — Vesperi milliarium nec vestigum. Sinapismi ad plantas pedum. Vesicans ad sternum. — D. 1. Febr. Nox soporosa. Erysipelas faciei

coloris violacei admodum sensile, in facie et regione subclaviculari utraque pustulae flavescentes, malignae dictae; reliqua omnia majori intensitate insignia. Augetur camphora ad gr. sex et loco syrupi mannati ille corticum aurantiorum. — Vesperi primitiae erysipelatis faciei gangraenescentis; exsurgunt nova symptomata nervosa, lingua fissa, muco fusco tecta, tremula, lusus musculorum labii superioris, carphologia et genitalium contrectatio. — D. 2. Febr. Erysipelas faciei coerulescens bullis nigricantibus hinc inde ruptis liquorem fusco-rubrum plorantibus obsessum, abscessus in capillitio plurimi rupti; oculi palpebris oedematosis, uti jam prius clausi; retractis palpebris conjunctiva prorumpit hydropica; reliqua status adynamici signa intensiora. — Dct. inf. ex cort. peruvian. et rad. angelic. $\overline{aa}$ dr. duabus, unc. sex, elix. vitr. Mynsicht. scrup., syrup. cort. aurant. unc. — Camph. ras. et mosch. orient. $\overline{aa}$ gr. sex, in 6 part. divis. — Decoct. salep cum acidi sulf. dilut. sesquidrach. et syrup. simpl. unc. — Sinapism. ad femor. Vescicans ad pectus. Progreditur destructio sphacellosa; superaccedunt sudores viscidi, pulsus debilissimus, minimus, innumerus, intermittens. Tandem hora nona tantae aegri soporosi, saepius ejulantis miseriae letheis sopiuntur undis.

Necroscopia.

Corpus sat bene nutritum; frequentes plagae ex vesicantibus erosae; in fronte usque ad tempora, in cubitu brachii sinistri et utriusque pedis omnis cutis notabiliter

incrassata in profundo numerosa cava magnitudinis grani milii usque ad pisi continet, quae ichore lurido-flavo impleta sunt. Meninges facile solvendae, quidpiam incrassatae; intra gyros levis exsudatio serosa; substantia cerebri mollis; ventriculi laterales cerebri sero turbido quidpiam expansi, cujus quantitas circiter drachmas duas aequat. Similis seri modica quantitas et in tertio et quarto ventriculo nec non in fundo cranii collecta. Substantia cerebelli majorem adhuc mollitiem offert, quam cerebrum ipsum. Pulmones quoad structuram ad normam liberi pendent in cavis thoracis et modicam quantitatem sanguinis laete rubri et aquosi continent. Cor magnum flaccidum; in atriis ejus solida coagula polyposa. Hepar pulmonum ad instar omni intuitu ad normam, sanguine seroso scatens. Vesica fellea unciam circiter bilis dilutae, fuscae et spissae continet. In ventriculo circiter sex unciae fluidi atri acide redolentis; ejus membranae multum adtenuatae, praeprimis in quibusdam plagis tali ratione, ut sub levissimo adtactu dilacerentur. Membrana interna versus pylorum coloris ex rubro-lividi; similem discolorationem offerunt etiam singulae plagae ilei; caeterum omnis fistula alimentaris sicuti et pancreas a statu sano non abludunt. Lien volumine auctus ferme in pultem interne resolutus. Ren uterque aeque volumine quidpiam auctus sanguine aquoso scatet. Vesica urinaria, contracta, vacua.

4. Febris catarrhalis.

Febres catarrhales maximam eruditionis clinicae paginam explebant non tantum ob magnam earumdem frequentiam sed praeprimis ob multiplices et periculo plenas, in quas ruunt, passiones, ad quas medicus praxim militarem adspirans haud sat saepe attentus reddi potest, cum recte miles juvenis ad similia mala, praecipue ad desorganisationes organorum respiratoriorum insanabiles maxime disponatur, et catarrhum ad speciem levem diu negligere consueverit.

In febris catarrhalis simplicis tractamine remedia emollientia, involventia cum salibus alvum leniter reserantibus sub parca diaeta et regimine modice antiphlogistico in primo stadio de regula suffecerunt. In secundo stadio crises per sputa tardas tartarus emeticus, sal ammoniacus et caules dulcamarae suffulciebant.

Affectiones rheumaticae et gastricae, febribus catarrhalibus sociae, tenue in therapia discrimen imperitabant.

Diarrhoeae symptomaticae ad summum pauxillum syrupi diacodii sibi expostulabant. Quod si autem insimul phaenomena febris biliosae socia irent, potiores suppetias his ferri oportuit.

Ubi raucedo, aphonia vel blenorrhoea organorum spirantium contumaces se exhibuerunt, pro rerum positionibus pulveres Plumeri, kermes minerale, hepar sulfuris, cum suppuratione unguenti mezerini ope in pectore sustentata egregia praestitere ministeria.

Febris catarrhoso-rheumatica in blenorrhoeam pulmonum versa.

M. K. tricenarius, miles gregarius, robustus, temperamenti sanguineo-cholerici, pleuritide excepta, semper sanus. — Die 12. Mart. mane extemplo tussi, sputa mucosa tenuia eliminante corripitur, cum dolore premente sub sterno, superveniunt dedolatio et delassatio insignis, dysphoria, horripilationes et frigus eximium, quibus insuper aestus, cephalaea frontalis

premens, anorexia, sapor amarus, sitis adaucta. — Vesperi intensitas horum major. Nox ob tussim, cephalaeam diram et dolores in pectore ac humero pungentes, lancinantes, fugaces, inquieta. — D. 13. Mart. mane morbus in remissione; post meridiem invaditur frigore, subsequente aestu et sudore in noctem protracto. — Nox inquietior. — D. 14. Mart. mane delassatio, cephalaea, dolores in infima pectoris parte, hypochondriis et lumbis increscunt. — Vesperi in nosocomium missus et in clinicum susceptus: Delassatio et dedolatio magna; caput grave, in fronte doloribus prementibus, distendentibus ad tempora et occiput extensis occupatum; rubet, turget et calet facies; lacrimant oculi splendidi, erga lucem sensiles; nares et os siccescunt; lingua subsicca, in medio muco albo tecta et sapore instructa amaro; appetitus prostratus; sitis adaucta in aquosa et frigida; vox rauca; in larynge sensus titillationis; respiratio consueta normalis; sub inspirio profundo dolor sub sterno, pressione, tussi exacerbandus; tussis frequens, humida cum sputis aquoso-mucosis; epigastrium aliquantulum protuberans pressioni resistit; hypochondria et lumbi doloribus pungentibus, lancinantibus, fugacibus, pressione vehementioribus obsessi, idem dolores in utroque humero; cutis mollis, turgida, amoene calens modice transpirat; pulsus vix frequentiores, fortes, pleni; alvus semel, conditionis solidae mota. Dti. rad. alth. unc. sex, arcan. duplic. dr. duae, syrup. samb. unc. Dtum. alth. c. inf. liquirit. pro potu. — D. 15. Mart.

Per noctem ob tussim vehementem parum dormiens aeger largiter sudavit. Dolores rheumatici in hypochondriis et humero utroque evanidi, in lumbis mitigati. — In therapia nulla mutatio. — D. 16. Mart. Nox somno transacta, caput liberum, nares permeabiles; lingua pura humescit; sapor, appetitus et sitis normalis; tussis frequentior cum sputis largissimis, aquosis, tenacibus; vox rauca; oppressio pectoris sub sterno, dolores rheumatici penitus fugati; alvus pultacea semel mota. Emuls. oleos. unc. sex; potus hesternus reservatur. — D. 17. Mart. Nox ob tussim frequentem inquieta; oppressio pectoris cum sensu siccitatis et raucedinis major; respiratio citata, frequentior, laboriosa; profundum inspirium concessum; situs in latere utroque tussim excitat frequentem; haec ipsa valida, frequens, cum sputis largissimis aquosis, spumantibus juncta; alvus nulla; pulsus fortis, plenus, magnus. — V. S. ad unc. octo. — Emulsion. oleos. unc. sex, nitr. depurat. dr. semis, infus. sennae c. manna uncia adjicitur. Post missionem sanguinis oppressio pectoris multum decrevit, et respiratio pacatior evasit. — Vesperi exacerbatio modica. — Enema emolliens ob alvi stypsim applicatur. — D. 18. Mart. Nocte tussis frequentissima cum sputis largis, crudis; alvus bis mota pultacea. Oppressio pectoris remittit, respiratio parum normali frequentior; respirium profundum et situs in latere utroque concessus; tussis minus frequens, sputa eliminans largissima, spumantia, mucosa, tenacibus mixta. Loco dti. altheae dtum. salep

cum sacch. pro potu, ad pacandam tussim morph. pur. gr. unum, sacch. alb. dr. una in sex part. divis. — Vesperi motus febriles exacerbationem modicam celebrant. Ordinatur linctus simplex. — D. 19. Mart. Noctu reficiente fruitus est aeger somno, alvus semel mota pultacea; oppressio pectoris minor; respiratio ad normalem accedens; tussis minus frequens cum sputis largissimis, mucosis, tenacibus; febris modica. In therapia nihil mutatur. — D. 20. — 23. Mart. His diebus oppressio pectoris evanuit, respiratio normalis; tussis minus frequens cum sputis largis, spumantibus, glutinosis, in fila ductilibus; cutis et pulsus fere normalis. — Ordinatur infus. stipit. dulcamar. ex dr. una unc. octo, mannae elect. unc. p. mixtura; et dtum. rad. salep. c. oxymel. simpl. p. potu. — Pulveres ex morphio et linctus retinentur. — D. 24. — 25. Mart. Omnis febris abacta; in pectore sensus plenitudinis ante tussis insultum, haec ipsa frequens sub sensu titillationis in trachea excitanda; sputa crebra qualitatis jam descriptae. Restringitur manna ad unc. semis, adjicitur mixturae tartar. emet. gran. — Vespere corripitur aeger horripilationibus, dein frigore cum subsequo aestu et sudore, siti adaucta; cephalaea frontali, turgore et rubore faciei, circulo veloci; superveniunt oppressio pectoris, cum sensu plenitudinis sub sterno, ante tussim exasperanda; respiratio normali frequentior, tussis crebrior cum sputis notis; epigastrium, praeprimis in praecordiis sensile, sub tussi dolorificum, quidquam tensum; urinae saturatius

tinctae, limpidae; sensus frigoris et formicationis in extremitatibus inferioribus. In therapia nulla mutatio. — D. 26. Mart. Nox partim tussitando, partim dormiendo transacta. Ex heri in morbi scena mutatio nulla. Dti. rad. alth. unc. sex, mann. elect. unc. semis et tartar. emet. gran. Potus et linctus continuantur; pulv. ex morph. seponuntur; emplastrum cantharid. pectori imponitur. — D. 27. — 28. Mart. Nox ob tussim inquieta. Pectoralia: oppressio cum sensu plenitudinis, frequentia respirationis recedunt; tussis cum sputis largis, spumantibus, coctis hinc inde remixtis in eadem gradu. Symptomata febrilia vespertino ingruunt tempore. — Plaga epidermide exuta unguento mezerino deligatur. — D. 29. Mart. Post somnum tussi interruptum aeger offert caput grave temulentum; vocem raucam; oppressionem pectoris; respirationem frequentiorem, inspirium profundum non bene concessum, interdum tussim ciens; tussim frequentem cum sputis conditionis ejusdem; extremitates, praecipue inferiores frigidulas cum sensu debilitatis et frigoris; pulsus frequentiores, molles. Therapia hesterna. Hora secunda pomeridiana frigus intrat cum cephalaea pressiva, ructibus et torminibus, sub quibus alvus ter deponitur. Mixtur. priori substituitur dtum. rad. polygal. seneg. ad unc. sex cum salis ammoniac. gr. decem et syrup. simpl. unc. — Dtum. salep. p. potu, reservato linctu. — D. 30. Mart. et 1. April. Noctes quietiores. Caput quidpiam grave temulentum; oppressio pectoris imminuta; respiratio

normali adpropinquans; tussis minus frequens cum sputis quantitate et qualitate iisdem; temperatura cutis et pulsus fere normales. — Augetur sal ammoniac. ad grana duodecim; insuper pulv. Dover. gr. tria cum saccharo albo drach. in sex part. divid. — D. 2. — 3. April. Noctes somno reficiente transactae; caput liberum; levis angina tonsillaris; symptomata pectoralia excepta tussi frequente, sputa larga, spumantia, coctis maxima parte mixta eliminante, fere evanida. Loco potus pristini dtum. rad. alth. cum infus. stipit. dulcamar. et rad. liquiritiae. — D. 4. — 5. April. Angina tonsillaris ex integro profligata; tussis adhuc frequens cum sputis largis aquoso-mucosis, hinc inde coctis intermixtis, coloris fere grisei. — Kermet. mineral., pulv. squillae marin. sicc. āā gr. duo, sacch. alb. scrup. duo in 4 part. divid., omissis mixtura et pulv. Dover. — D. 6. — 11. April. His diebus tussis rarior, quantitas sputorum minor. — D. 10. April. Vesperi. — Nova sanguinis effervescentia, turgore et calore cutis, cephalaea siti adaucta, pulsu frequentiore et fortiore conspicua in diem protracta intravit. Symptomata pectoralia; respiratio frequentior, citata; situs in latere dextro denegatus; sensus titillationis in trachea; tussis molestans cum sputis largis, aquoso-mucosis, tenacibus reviviscebant. Dti. alth. unc. sex, tartar. tartarisat. drach. tres, mannae elect. unc., retenta reliqua therapia. — D. 12. bis 26. April. Febricula inflammatoria refrigerio inducta, mox cum imminutione symptomatum pectoralium evanuit; post aliquot dies tem-

pestate favente frigido-pluviosa caput brevi demittendum adtollit. Tussis sensim frequentia remisit, sputa parciora fiebant. Kermet. mineral. gr., extract. hyosciam. gr. tria, sacch. alb. drachm. in sex partes div. — mixtura et linctus seponuntur, et deligatio plagae suppurantis cum unguent. mezerino continuatur. — D. 22. — 30. April. Tussis sensim, rarior et sputa partiora evadunt, debilitatem tantum aeger accusat. Omittitur deligat. cum unguent. mezer., plaga suppurante cicatrisationi relicta. Trahitur in usum dtum. lichen. island. cum saccharo, continuantur pulveres, et loco potus ultimo praescripti, cerevisia conceditur. Tussis penitus evanida, sputa tantummodo screatu ejiciuntur, vires indies majora capiunt incrementa. Diaeta augetur; conceditur ambulatio. Ex integro restitutus, die 1. Maj. dimittitur.

5. Febris rheumatica.

Febres rheumaticas majoribus molestiis ac periculo circumdari, dolores in his solos numquam rationem medendi tumultuosam sibi efflagitare, et nonnisi raris in casibus in subjectis summe sensibilibus remedia quadrare narcotica, in dies magis confirmabatur ac experientia corroborabatur.

Non minus ex tractamine doctrina hauriebatur salutaris, ubi dolorum atrociae febris et inflammatio vehemens subfuerint, methodum antiphlogisticam optimum sistere narcoticum, patientia in hoc morbo nec

aegrum, neque medicum carere posse, febres rheumaticas simplices lenesque solis naturae viribus sanari, et methodum graviter diaphoreticum, et quacumque ratione debilitantem, etiamsi saepe tantis extollitur laudibus, morbo prolongando et doloribus excerbandis parem esse.

In cura harum febrium methodus antiphlogistica gradui morbi adaequata cum leniter diaphoretica copulata ut decoctum altheae c. arcano duplicato et syrupo simplici, quies in lecto, regimen modice calidum et diaeta tenuis exoptatum suppeditavere effectum. Quodsi febris magna vehementia terreret et flammam universalem prae se ferret, sanguinem detrahere non haesitabatur. Irritatione locali magis fixa et ad veram phlogosim evecta, sanguisugae et fracta inflammatione emplastrum cantharidum suam ad sanationem contribuere symbolam. Tempore crisium sal ammoniacus, tartarus emeticus et caules dulcamarae virtutes adeo decantatas non denegavere. — Sequitur historia morbi et gradu et decursu memorabilis.

Febris rheumatica cum superveniente febri gastrico-biliosa.

A. W. miles gregarius 35 annorum, constitutionis fortis, temperamenti sanguineo-cholerici in infantia variolas humanas feliciter exantlavit. Anno aetatis decimo quinto febri intermittente quotidiana, sensim in quartanum typum transeunte, per tres circiter annos continuo conflictabatur, quae variis remediis pertina-

cissime renitens tandem sponte evanuit. Anno praeterlapso eadem febris reversa naturae medicatrici superiori post septem dies quoque paruit. — D. 17. Oct. 1836. ad vesperam excubias agens, sub tempestate admodum iniqua, humido-frigida et ventosa, doloribus trahentibus, lacerantibus ex nucha juxta spinam dorsi et anterius thoracis latus sese propagantibus, corripitur; quibus sensim crescentibus aeger officio suo perficiendo impar, domum redire jubebatur. Nocte insequente horripilationibus percellitur cum calore alternantibus, quibus cephalaea frontalis premens pungensque, artuum dedolatio, sitis vehemens, anorexia et agrypnia associabantur, quae integram per noctem uno tenore perseverantes, tandem mane remisere, aegro nihilominus lectum custodiente. — Vesperi aeger eodem invaditur insultu febrili, hesterno multum vehementiore; ne frigore quidem excepto. Increscente morbo aeger nosocomium adire coactus, in clinicum suscipitur. — D. 21. Octob. Dysphoria; delassatio magna; dedolatio artuum; dolor lacerans, scindens in regione frontali et temporum, spina dorsi, thorace et abdomine, imprimis in regione vesicae urinalis; facies turgida rubescens; oculi splendentes photophobi; labia rubra sicca; lingua albicans; sapor fatuus, sitis magna; appetitus nullus; vox depressa, anxia; in nucha dolores lacerantes per humeros juxta columnam vertebralem deorsum sese propagantes; thorax in toto ambitu dolorificus, praesertim in latere sinistro, cum oppressione in parte superiore; respiratio

citata, anxia, abdominalis; respirium profundum ob dolorum vehementiam vix concessum; tussicula sicca; rarissima; abdomen sub attactu ubique, imprimis in regione vesicae urinalis, dolorificum, ubi tumor conspicitur; adtactus ob dolores urentes vix perfertur; cutis sicca, valde calens; urinae ob stranguriam ex 36 horis non mictae; alvus ex triduo silet; pulsus frequens et fortis. — V. S. ad unc. decem. Mixt. oleos. unc. sex. — Emuls. commun. libr., nitr. depurat. dr. semis, sacch. alb. dr. duae p. potu. — Dti. specierum alth. unc. octo, ol. oliv. unc. p. enemate. — Linteamina calefacta abdomini imponenda. Sanguis e vena missus, levem exhibet crustam inflammatoriam; paulo post dolores mitigantur. Mictus jam ex 36 horis inhibitus, tandem sub doloribus urentibus conceditur cum remissione dolorum in vesica urinaria, et insigni tumoris supra symphisim ossium pubis imminutione; pulsus fit liberior, mollis. — Ad vesperas leves intrant horripilationes, cum calore sicco fugaci alternantes; increscunt dolores rheumatici, usque ad mesonoctium omnem somnum fugantes. — D. 22. Octob. Alvus adhuc clausa; urinae parcae ex flavo rubentes, limpidae; febris gradus ejusdem; dolores rheumatici intensitatis majoris. — V. S. ad unc. octo. Sinapis. ad suras. — Fomenta sicca ad abdomen. Crusta sanguinis missi inflammatoria major; dolores omnes imminuti; meridiem versus somnus reficiens, sudor largus; post meridiem subsequitur tandem alvi larga excretio levans, con-

ditionis fluidae. — D. 23. Octob. Aeger noctem sat bene et quiete transegit; febris ac rheumatismi notabile decrementum crisibus per urinas largas, sedimento furfuraceo praeditas et sudores contingentibus. — D. 24. Octob. cephalaea pressiva frontalis; vertigo, praecipue sub situ erecto; lingua spurca; anorexia; sitis in frigida et acidula directa; sapor amarus; ructus amarescentes et pronitas in vomitum; halitus foetens; in scrobiculo cordis eminens sensilitas, tumor et dolor ibidem tactu augendus cum sensu ponderis et plenitudinis in ventriculo; urinae sat largae, ex flavo-aurantiacae, turbidae cum sedimento rosaceo; alvus ex biduo clausa; pulsus frequens, fortis. — Dti. gram. et fruct. tamarind. ex unc. parat. unc. sex, syrup. rub. idaei semiunc. p. mixtur. — Dti. gram. libr. duae, succ. cit. r. press. unc., sacchar. alb. semiunc. p. potu. Enema emolliens cum oleo olivar. — D. 25. Octob. Nox quieta, somnus gratus. Febris decrescit; crises contingunt per urinas largas, turbidas ex flavo-aurantiacas sudoresque modicos. — Dti. gram. et tamarind. ex unc. parat. unc. sex, syrup. simpl. unc. — Dtum. gram. cum sacchar. pro potu. — Ob alvi stypsim pertinacem dtum alth. c. sal. amar. semiunc. p. enemate. — D. 26. — 28. Octob. Alvus saepe numero deposita, insolite foetens; crises continuant per sudores largos, levantes et urinas largas ex flavo-rubescentes, valdeque turbidas; pulsus liber normali adhuc frequentior atque fortior. — D. 29. Octob. Solum digestio-

nis et musculorum debilitas. Dti. rad. tarax. unc. sex, infus. rad. rhei chinens. c. alcal. parat. unc., syrup. cichorei c. rheo semiunc. pro mixt. — Dtum gram. cum sacch. p. potu. — D. 3. Novemb. Ex causa nobis ignota exoritur recidiva febriculae gastrico-biliosae. — Dti. gramin. et fruct. tamarind. unc. octo, salis m. Glaub. dr. duae, syrup. mannat. unc. semis. — Dtum. gram. cum infus. liquirit. p. potu. — D. 4. Novemb. Morbus per urinas et sudores judicatur. Therapia eadem. — D. 5. Novemb. Dcto. gram. et tamarind. substituuntur dcti. tarax. ex unc. parat. unc. sex. — D. 6. — 10. Nov. Sub benignarum crisium processu omnis abigitur morbus; exhibentur infus. centaur. minor., sem. foeniculi ex dr. tribus parat. unc. quinque, infus. rhei chinens. c. alcali parat. uncia. — Sub hoc tractamine et sub regimine apto recte nutriente restituitur digestio ad normam viresque musculares ad pristinum redeunt robur et vigorem ita, ut — d. 17. Nov. ex integro restitutus clinico valediceret.

6. Febres gastricae.

E quibus saburrales et biliosae eamdem explebant paginam, saepe saepius posteriores ex prioribus expliacabantur. Consuetos satellites in affectionibus catarrhalibus et in uno casu urticaria agnoscebant.

Febres biliosae hinc inde hepatitidem, pleuritidem et pneumoniam ad speciem mentientes in morbi primordiis inconsueta lassitudine, anxietate et inquietudine terrebant, ast cephalaea dira et vertigo,

pulsus perquam frequens et tempestas aestuans larvam plerumque detrahebant. Venaesectiones institutae, cum quo hoste congrediendum manifestabant, quum doloribus et molestiis localibus, sputa tussi cruenta expectorante fugatis symptomata status biliosi characteristica ut sapor amarus, flavedo faciei etc. exsurgerent.

Saburra vi naturae medicatrici sursum deorsumve sufficienter eliminata remediis emeticis et purgantibus rarus concedebatur locus, et quum praecipuus aegritudinis cardo in morbosa succorum digestricium secretione verteretur, methodus leniter solvens: gramen, oxymel, sal Glauberi, tartarus stibiatus in d. r., ad citam et plenariam solutionem suffecit. Dyspepsia hinc inde remanens taraxaco, cichoreo, rheo, centaurio etc. facili cessit negotio. — Verumvero non adeo simplex et periculi expers febrium biliosarum observabatur decursus. Etenim etiamsi plurimis in casibus infracto charactere febris inflammatorio, et congestionibus adaequata per remedia dissipatis, tartarus emeticus, ipecacuanha, decoct. graminis cum sale Glauberi, et potus aciduli virtute superbiissent salutifera, nihilominus crisibus vel non, vel sufficienter non contingentibus praeceps hinc inde et inopinatus exsurrexit character adynamicus. Tunc in ipecacuanha et irritamentis cutaneis principia agnoscebantur remedia et paria morbo in salubria molimina revocando. In uno, cujus historia sequetur casu ob exorbitantem nervorum erethismum uno eo-

demque tempore moschus et venaesectio cum reliquo remediorum congruorum apparatu militabant, stupore omnium animos omnino complentes. Alia biliosa in adynamiam versa inflammatione et suppuratione parotidum metastatica feliciter solvebatur. Unus aeger, qui ex charactere bilioso in astheniam incidit ex exsudatione repente intra cranium facta demortuus est.

Sequentur breves historiarum conscriptarum delineationes.

Febris gastrico-catarrhosa cum hepatitide gravi, superveniente pneumonia catarrhosa cum versatilitate systematis nervosi, irritatione lienis, et febri biliosa.

M. Sz. miles gregarius, 22 annorum, constitutionis fortis, temperamenti cholerici, ex vigesimo aetatis suae anno febrem catarrhalem bis exantlavit. D. 8. Decemb. sub prandio subito tanta abripitur nausea, ut illico ructus et vomituritiones exorirentur. Nihilominus ad vigilias, quas peragere jussus fuit, se confert, sed aegritudine increscente domum reverti coactus, ad ciendam, quam exoptabat, emesim, digitis faucibus immissis, ciborum ingestorum et materiae subviridescentis perquam amarae magnam, ast sine ullo levamine ejecit quantitatem. Aestus intensus, dedolatio summa, sitis immanis, et cephalaea dira aegrum excruciare pergunt, quibus vix remittentibus 10. Decemb. vesperi in clinicum suscipitur. Dysphoria, an-

xietas et inquietudo, delassatio totius corporis, artuumque dedolatio summa; caput valde occupatum, vertiginosum, interne perquam aestuans; cephalaea maxime in regione frontali dira; vultus ob dolorum atrociam summe distractus et gravem passionem indicans; facies turgida, rubens et urens; oculi splendentes, lacrymis innatantes, erga lucem perquam sensiles; conjunctiva bulbi quidpiam rutilans; susurrus aurium; nares siccae aëri imperviae; labia rubra ardentia sicca, fissa; lingua in medio muco albicante tecta, sat humida; sapor fatuus, limosus; appetitus plane prostratus; sitis implacabilis ad potulenta dulcia directa; fauces intense rubrae, quidpiam tumentes; dysphagia; vox rauca; titillatio in larynge; carotides fortiter vibrantes. Thorax angustus, respiratio frequens, citata sublimis, quidquam laboriosa, sub inspirio profundo quod non conceditur, dolores excitantur pungentes in regione thoracis dorsali et hypochondrio dextro absque insequente tussi, quae ceterum sputis mucosis crudis coronata raro contingit; situs in dorso praediligitur, in lateribus quoque concessus; abdomen in hypochondrio dextro tumens, sub contrectatione in regione epigastrica et quam maxime in illa hypochondrii dextri dolores excitantur immanes, urentes et pungentes ad regionem sacralem, quin imo ad humerum dextrum usque sese extendentes. Aeger iis excruciatus vultum perquam distrahit et ejulatione anxia atque jactitatione corporis in lecto intolerabilem exprimit dolorum immanium sensatio-

nem. Exacerbantur dolores depicti sub omni corporis motu, ingruente tussi, nonnisi sub situ quieto quidpiam mitescentes; cutis sicca, temperatura in trunco et capite aucta, in extremitatibus infra normam; pulsus frequens, durus, minimus, valde suppressus et contractus. — V. S. ad libram. — Mixt. oleos. — Emuls. amygd. alternatim cum dcto. rad. salep. p. pot. sumend. — Fomentationes capitis glaciales. — Duabus post phlebotomiam horis elapsis aliqua in hypochondrio dolorum remissio intravit, et extremitates frigentes incaluerunt. Sanguis detractus celeriter in coagulum parco sero inundatum coivit, cujus facies superior crustam ad lineas circiter duas crassam et tenacem colore flavo notatam exhibuit. Placenta furca perfossa fibram parum tenacem ostendebat. — Die 11. Decemb. Noctem aeger insomnem duxit partim ob cephalaeam diram non mitigatam, et dolores supra nominatos, partim propter tussim frequentem. Vomitus non amplius subsequutus est. — Mane symphoresis ad encephalon paulisper sedata, febris catarrhoso-gastrica eodem ac heri perstat gradu, charactere catarrhoso exsuperante; abdomen vero magis collapsum et molle; tumor et calor in regione hypochondrii dextri minor; dolores in dicta regione et scrobiculo cordis quoad naturam idem, minore tamen intensitatis gradu insignes; regiones lumbales sicuti inferiores abdominis plagae indolorificae; urinae parcae, biliosae. — Hepatitide infracta V. S. amittitur, et reliqua hesterna continuantur. — Vesperi

perseverante emendatione matutina emulsionis loco dect. hord. c. syrup. simpl. ordinatur, ceteris immutatis. — Cataplasmata emol. in regionem epigastricam imprimis hypochondrium dextrum imponenda. D. 12. Decemb. Nox ob eamdem ac heri causam insomnis. Signa de encephalosymphoresi testantia ex heri quidquam mitigata eadem; lingua purior et humida, nausea nulla; sapor minus fatuus; sitis moderata, dulcia potulenta expetens; inspirium profundum ob tussim, quae inde excitatur, sputa mucosa cruda eliminantem, non concessum; dolores pungentes urentes non tantum in hypochondrio dextro et epigastrio, sed etiam ad integram regionem hypochondriacam sinistram extensi. Alvus ex biduo silet; urinae aurantiacae; cutis sicca; calor animalis amoenus per omnem corporis ambitum diffusus; pulsus frequens, durus, parvus, valde contractus et suppressus. — V. S. ad unc. octo. — Dcti. rad. alth. unc. octo, nitr. dep. semidrachm., tart. tartaris. dr. tres, syrup. rub. idaei unc. — Potus vespertinus. — Cataplasmata regioni lienis applicanda. — Fomenta glacialia sicque dctm. salep et hord. alternatim tepide hauriendum, continuantur. — Sub V. S. sanguis torrente pleno profluxit, quae saltem aliquam dolorum in abdomine mitigationem subsequam habuit. Etiam pulsus aliquam recuperabat libertatem et evolutionem, calorque animalis adaugebatur. Sanguis missus post quinque minuta in coagulum secessit et placentam valde friabilem, levi tantum pellicula inflammatoria insignem, seri tamen

quantitatem parvam praebuit. De die et vesperi quoque praeter tussim frequentiorem nulla peculiaris observatur mutatio, quae tussis somni per integram fere noctem interrupti causam sistebat. — Die 13. Decemb. Vertigo et temulentia eodem tenore ac heri; cephalaea frontalis mitigata; vultus minus distractus, sed admodum tristis, ob fixam aegri ideam, moriturum se esse; facies pallescens, collapsa; nares, labia et lingua pura, humida; sapor adhuc limosus; sitis potulentis fallenda; sensus titillationis in larynge; vox rauca; respiratio aequalis, frequentior, citata, sublimis, laboriosa et anxia; inspirium profundum tussim spasticam provocat, quae alioquin vehementissima et frequentissima cum sputorum crudorum mucosorum et spumantium exterminatione absolvitur; dolores in omni thoracis ambitu praeprimis sub sterno pressivi, in hypochondrio dextro nulla, sinistro exigua accusatur sensilitas; alvus una pultacea; urinae turbidae ex flavo-rubescentes; cutis mollis sicca; pulsus frequens durus et suppressus. — Mixt. oleos. unc. octo, inf. senn. c. manna uncia. — Calom., extr. hyosciam. $\overline{aa}$ gr. duo, sacchar. albi scrup. duo in quat. part. divid. — Dctm. altheae c. inf. liquirit. p. potu. — Cataplasm. et fomenta frigida omittuntur. — Hora tertia pomeridiana tanta exoritur tussis ut sub summo suffocationis periculo ructus, vomituritiones, imo vomitiones quisquiliarum mucosarum ex fusco-viridescentium et amarescentium urgerent et aeger summa anxietate et mortis instantis metu perculsus continuo in

lecto sese jactitans ejulatus acerbos emitteret. Tantae vitae humanae acerbitates insuper dysphagia, et orthopnoea summa, et spastica laryngis et tracheae constrictione admodum dolente cumulabantur. Haec scena horrenda ad vesperas quidpiam placata insuper cephalaea dira, vultu admodum anxio et distracto, oculis splendentibus et vivacibus; facie collapsa, pallida; extremitatibus frigentibus; capite et trunco aestuantibus; pulsu frequente, minimo vix tangendo concomitata observatur. — Praeter therapiam matutinam emplast. cantharid. juxta integram sterni longitudinem applicandum ordinatur. — Die 14. Decemb. Ex hora sexta vespertina tussi sensim mitescente vomitus quoque siluit, evanuit deglutitio difficilis nec non constrictio laryngis et tracheae spastica et aeger post tantos labores valde debilitatus obdormivit. — Mane symphoresis ad encephalon minima; pneumoniae catarrhosae et exorbitantis systematis nervosi agilitatis gradus idem ac vespertinus. Ast hypochondrium dextrum iterum valde sensile quidpiam tumet. — Pulveres et potus continuantur, quibus insuper mixt. oleos. unc. octo, aquae lauroceras. semidrachm. adjunguntur. — Hora quarta pomeridiana idem ac heri revertebatur insultus spasticus attamen quidquam mitior, ob tussis frequentiam et vehementiam, vomitionum acerbitatem, constrictionem laryngis et tracheae spasticam, suffocationis metum fere intolerabilis. Intenditur therapia matutina. — Morphii pur. gran., sacch. albi scrup. duo div. in 4 part. aequal. — Sina-

pism. ad suras. — Enema emolliens. — Die 15. Decemb. Pulverem ex morphio primum hora 7. sumptum illico vomitu ejecit, et ob summam inquietudinem et anxietatem, statum suffocativum nec non vomitum et tussim excruciantem, alter pulvis nonnisi hora 11. administrari potuit, et abhinc usque ad mesonoctium vomitu non intrante, et tussi quidquam pacata somnus levis saepius tussitatione hinc inde vomitu interceptus, post mesonoctium tandem concessus fuit. — Mane summa dysphoria; delassatio totius corporis; inquietudo et anxietas; caput valde vertiginosum et temulentum; cephalaea in regione frontali intolerabilis, usque ad occiput protensa; physiognomia tristissima, summo mortis timore distracta, gravissimam passionem internam portendens, absque deliriis aut mentis alienatione; oculi semiclausi quasi emortui, omni splendore exuti, in orbitas relapsi et annulis lividis circumscripti; vehemens aurium susurrus; facies collapsa, summe pallida et frigida; nasus acuminatus; labia livida; lingua muco albicante obtecta; sapor amarus; continua nausea et vomituritiones, imo vomitus frequentes materiae amarae, ex virideflavescentis, muco remixtae, qui omni horae quadrante etiam post quaecumque hausta aut tussim subsequuntur; sitis modica, aquam frigidam et vinum efflagitans; dolor faucium urens; deglutitio impedita; vox rauca, loquela tremula; respiratio inaequalis, latere thoracis sinistro magis absolvenda citata, sublimis, maximopere laboriosa et anxia; continua situs

mutatio; tussis frequens, vehementissima, sputa larga, ex flavo-viridia, hinc inde striis sanguineis notata ejiciens; dolores in cavo thoracis maxime sub sterno pressivi; sensatio in scrobiculo cordis et hypochondrio tumente dolorifica, sub tussi, inspirio profundo et pressione manus exacerbanda; alvus enemate emolliente licet injecto nondum deposita; urinae parcae, bile refertae; extremitates algidae, trunco et capite modico calore animali gaudentibus; pulsus frequentissimus, minimus vix percipiendus, quandoque penitus evanescens. Sub conditione rerum tantopere desperata omnia artis adminicula in usum trahuntur, quaecumque vires suppressas liberare, nimiam systematis nervosi agilitatem compescere, et sanguinis organa interna eaque nobilissima obruentis circulationem liberiorem reddere valent, ut si licuerit mors paralytica praecaveatur; cui scopo V. S. ad unc. sex. — Mixtur. oleos. c. aqua laurocerasi. — Moschi orient. opt. gr. sex, calomel. gr. tria, sacchar. alb. scrup. duo, in 8 pulv. divid. — Sinapism. ad femora, armoracea rasa acuendi. — Emplast. canth. utrique pectoris lateri imponendum. — Glaciei sacchar. c. vaniglia ad vomitum obtundendum. — Succi citri uncia, aquae font. libra, sacch. alb. semiuncia p. potu. Sicque vini austriac. generos. multa aqua diluendi libr.; — intrante vomitu hauriendum dtum. spec. àlth. c. inf. liquir. — Venaesectio hora 9. instituta nullum aegro levamen adtulit, et sanguis missus post quadrantem horae in coagulum coivit, placentamque largam, facil-

lime dislacerandam et crusta flava (biliosa) praeditam, serumque parcum, ex flavo-viride obtulit. Symptomata modo memorata gravissima et periculosissima sensim increvere, aegrumque ad desperatum vitae discrimen perduxere. — Facies frigida, collapsa nunc glaciei ad instar algida tangitur, omniaque moribundi prae se fert indicia, periculum mortis suffocativae summum attingit culmen, urget vomitus acerbissimus et summe dolorificus, ab initio denis, serius quinis minutis contingens; cutis tota quanta algore universali superfunditur, et pulsus digitis vix explorandus, quandoque per momenta aliquot evanescens, ita ut de aegri salute conclamatum esse una consentiensque sit omnium opinio. — Ast mirum! — Ex hora pomeridiana prima vires naturae medicatricis cum atra morte luctantes superiores discedere videntur. Quippe inquietudo et tristitia animi, dysphoria et anxietas sensim decrescere, cephalaea mitior et vultus laetior evadere incipiunt, facies lurido-livida colorem induit pallidum, restituitur aliquis oculorum splendor ac vigor, respiratio majorem recuperat libertatem, et dolores in cavo pectoris pressivi mitescunt. Vomitus rarior omni quadrante dein omnia dimidia hora ingruens ex tertia hora ex integro silet; algor totius corporis viribus insurgentibus fugatus calori amoeno primo facici, dein trunci et demum extremorum superiorum et inferiorum aequabiliter diffuso locum cedit; restituitur aliqua pulsuum libertas et evolutio, quae totius morbi emendatio rapida etiam vesperi

cernitur. Omissa venaesectione et glacie condita therapia hesterna addito enemate purgante ex dect. alth., sal. amar., et oleo olivar. — Die 16. Decemb. Post mesonoctium somno reficiente gavisus est aeger. Mane somnolentia magna, delassatio corporis et dedolatio artuum ex vomitu et tussi excruciante adhuc gravis; vertigo capitis sub sessione; cephalaea minima sub tussi nonnisi augenda; vultus compositus, nulla anxietatis indicia exhibens; oculi vivaciores et lucem magis ferentes; susurrus aurium nullus; facies collapsa et pallida; lingua in disco muco albicante obducta, ad margines pura; sapor dulcis; sitis modica, acidula appetens; deglutitio libera; levis vocis raucedo; loquela ad normam; respiratio normalem frequentia quidquam excedens; tussis rarior; inspirium profundum sine tussi concessum; alvus non obstante enemate purgante clausa; urinae biliosae et tantillum muci continentes; cutis mollis et sicca, temperatura ejus adaucta per totum corporis ambitum aequabiliter dispersa; pulsus normali frequentior et quidquam adhuc contractus. — Dctm. ex radic. alth. et fruct. tamarind. $\overline{aa}$ unc. dimid. ad colat. unc. octo, sal. Seignett. dr. duae, syr. rub. idaei unc. — Dctm. alth. c. succo citri et sacchar. p. potu. — Vesperi levis exacerbatio; alvus adhuc constipata. — Dcti. alth. unc. sex, salis amar. dr. tres, inf. senn. c. manna sesquiuncia, olei olivar. unc. duae p. clystere. Die 17. Decemb. Nox somno transacta — incipiunt crises per urinas largas sedimento sabuloso praeditas, et levem

cutis transpirationem, statu morbi omnimode multum emeliorato. Alvus de nocte pultacea semel mota; sputa adhuc cruda; levis adhuc erga caput symphoresis. — Augentur in mixt. hesterna fructus tamarindorum ad unciam et sal Seignetti ad dr. tres — et syrup. rub. idaei mannatus substituitur. — Vesperi levis exacerbatio. — Clysma emolliens. — Die 18. Decemb. Levis adhuc somnolentia, major et corporis et animi euphoria; caput adhuc quidquam vertiginosum; cephalaea nulla; oculorum albuginea et cutis faciei flavicans; sapor dulcis, sitis modica in potulenta frigido-acidula directa; reviviscit appetentia ciborum acidulorum; respiratio normalis; tussis rara, sputa parca, subcocta excutiens; omnis in abdomine sensilitas evanida; alvus una fluida; urinae largissimae aurantiacae, muco refertae; temperatura cutis transpirantis normalis; pulsus frequentior normali, ceterum sanus. Therapia hesterna. — Consueta febris exacerbatio vespertina. — Die 19. Decemb. Caput ex integro liberum et indolorificum; physiognomia laeta, in albuginea utriusque oculi nulla amplius flavedo; facies non tantopere flava sanae accedit; lingua purissima; sapor normalis; sitis moderata quam maxime in cerevisiam directa; appetitus viget, pectus conditionis hesternae; abdomen sanum; urinae largae coloris straminei, sedimento sabuloso praeditae, temperatura cutis normalis, pulsuum conditio modica frequentia excepta ad normam. Dcti. alth. unc. octo, oxym. simpl. unc. p. mixtura. — Dtum alth. c. inf.

liquir. p. potu. — Die 20. Decemb. Character biliosus penitus fugatus superstite levi febricula catarrhosa in decremento versante. Therapia continuatur. — Die 23. Decemb. Crises per pulmones quidpiam tardae. — Dti rad. gram. c. unc. octo, sal. ammoniac. gr. decem, oxym. simpl. unc. — Die 25. Decemb. Vesperi exacerbatio solito validior, catarrhus insimul recrudescit — accusatur refrigerium cui aeger e lecto surgens illicite se exposuit. — Therapiae hesternae adjungitur linctus simplex. — Die 31. Decemb. Solvuntur intra octiduum tum febris tum catarrhus. — Die 13. Januar. Reconvalescens non obstante morbo, quo gravissimo et periculosissimo decubuit, intra breve tempus sub diaeta largiori et nutriente adeo cito vires detritas recuperat ut 16. Jan. officiis militaribus peragendis par dimissus fuerit.

Febris inflammatorio-biliosa, supervenientibus hepatitide et charactere nervoso.

Miles gregarius quintum complens lustrum, robustus, cholericus, 2. Martii a. c. carne perquam pingui comesta aquam ingurgitat frigidam; circa vesperas dedolatione, cephalaea et epigastrii oppressione plectitur; nocte frigore perculsus mox aestu flagrat valido et sudore per noctem. Die insequente mane in nosodochium militare translatus medicinam deglutit, quae plures emeses materiae amarae, viridescentis subsequas habuit. Vesperi ejusdem diei in clinicum suscipitur: Dedolatio artuum summa, caput

obnebulatum, sub sessione vestiginosum; cephalaea frontalis pressiva; oculi sensiles lacrymis suffusi; albugineae quidquam flavescentis vasa sanguine injecta; facies rubra turget, calet; nares siccae aëri perviae; lingua muco crasso ex albo-flavescente obvelata, humida; sapor amarus; anorexia; polydipsia in acidula; spirandi munus frequentius, laboriosum; inspirium profundum non concessum ob dolores epigastrii pungentes et tussiculam ciendam; sputa cruda, sanguinis striis hinc inde colorata; epigastrium tumidum admodum sensile; hepar resistens, sub rudiori adtactu dolens, dolor pungens; cutis in genis praecipue flavescens tangitur sicca, perquam, sed amoene calens; pulsus frequentior sano, fortis, duriusculus, plenus; alvus ex heri clausa. Dcti. rad. alth. unc. sex, nitr. dep. drachm. semis, sal. mirab. Glaub. drach. tres, syrup. mannat. unc. semis. Dct. hord. c. oxymel. scillitic. p. potu. — D. 4. Mart. Nox insomniis turbata, post mesonoctium sudor et alviductiones fluidae tres; remissio matutina; character recedit catarrhalis perstante illo inflammatorio-bilioso. Omittitur nitrum, restingitur sal. Glaub. ad drachmam, potus idem. Exacerbatio vespertina nulla. — D. 5. Mart. Nox tranquilla, sudor nullus. Febris characteris activi; vires modice exorbitantes; exsuperat status gastrico-biliosus cum catarrho recrudescente. Nulla crisium indicia. Dct. rad. Alth. unc. sex, tart. emet. gran., sal. Glaub. drachm., syrup. simplic. unc. semis. Exacerbatio vespertina uti heri defuit. — D. 6. Mart. Nox uti heri solummo-

do tussicula frequentius irruente gravata. Nulla notatu digna mutatio. Ob alvi stypsim sal Glaub. ad drachm. duas augetur, reliqua jubentur continuari. — D. 7. Mart. De nocte aeger insomniis et tussi vexabatur. Hodie caput magis tentatum; physiognomia haud hilaris; facies quidquam rubra; labium superius hydroa febrili obsitum; lingua brunescente obducta muco; sapor amarus; anorexia; sitis modica; spiratio citata; tussis frequens; sputa parciora, ductilia coloris crocei; abdomen in epigastrio expansum, sensile, dolorificum in hypochondrio; cutis sicca, magis sed non ingrate calet; alvus pultacea; urinae parcae profunde aurantiacae; pulsus frequentior sano, durisculus. — Vesperi valida totius morbi exacerbatio. — D. 8. Mart. De nocte potiore e parte magna inquietudo. Mane febris valida; hypochondrium dextrum tumet, calet et dolet; cutis arida, calens. — Dct. ex fruct. tamarind. et rad. gram. āā unc. semis, p. unc. sex, sal. Glaub. drachm. tres, syrup. mannat. unc. semis. — Aq. comm. libr. duae c. acidi tartric. gr. quindecim et sacch. albi unc. semis, p. potu. — Vesperi perstantibus his symptomatibus affectio hepatis luculentius emergit. — Applicantur hirudines duodecim ad hypochondrium dextrum, parum levaminis inducentes. — D. 9. Mart. Aestus internus flagrans, magna inquietudo et tussis saepius rediens omnem profligavit somnum. Febris ex heri nehilum quidem mitior, character gastrico-biliosus penitus abolitus; tussis frequentissima cum sputis crudis, croceis, sanguinis striis remixtis; respiratio laboriosa,

sublimis; inspirium profundum inhibitum; incrementum hepatitidis.— Additur mixturae hesternae nitr. pur. drach. — V. S. ad unc. octo. — Sanguis interrupto prosiluit rivo, densum mox formavit crassamentum, sero parco innatans et levidensi crustula notatum. Levamen ex sanguinis detractione momentaneum. — Ad vesperas aeger jacet indifferens, caput grave, sub sessione vertiginosum; faciei rubor haud laetus, in genis circumscriptus; oculi languidi saepius clauduntur, nares labiaque sicca; lingua brunescente muco obtecta, fissa, maxima ex parte sicca; sitis modica; sapor nullus, respirium laboriosum, citatum, sublime; tussis valida, brevis cum parcis sputis croceis; abdomen volumine adauctum, resonans, extensum, praesertim in epigastrio quid protuberat. Scrobiculum cordis sensile, hypochondria ambo et utraque regio iliaca obtuse dolent; cutis arida; calor animalis valde auctus, ingratus, pungens; pulsus frequens, mollis, ceterum magnus et haud vacuus; alvus fluida, bis absque tenesmo sequuta; urinae mejuntur non parcae, turbidae cum sedimento pallide rosaceo, tenui. — Dct. inf. ex rad. alth. unc. semis et rad. ipecacuanh. gr. decem, unc. sex, syrup. simpl. unc. semis. Dctm. salep cum sacch. p. potu. — Sinapismi ad suras — et emplast. canth. ad regiones iliacas. — D. 10. Mart. De nocte agrypnia simplex. Recedente charactere nervoso, inflammatorius pedetentim evigilat, ita tamen ut nec unus, nec alter hodie praedominetur. Affectio localis pro magna parte sopita. Augetur ipecacuanha ad gr. duodecim. — Vesperi uti

seri charactere nervoso majori impetu propullulante indoles morbi phlogistica magis obfuscatur. — Sinapismi ad suras; — reliqua eadem. — D. 11. Mart. Nox hesterna pacatior. Vacillatio inter affectionem nevropathicam et inflammatoriam; magis tamen morbus in indolem primitivam vergit. Adscenditur c. ipecac. ad gr. XV. — Status vespertinus eamdem offert rationem, uti heri, attamen respiratio laboriosa, tussis molestans et dolores sub sterno pungentes eminuere. — Vesicans ad pectus. — D. 12. Mart. Agrypnia de nocte. — Mane caput omni temulentia immune, facies hilarior rubet, hydroa in apice nasi; lingua humida muco brunescente nonnisi in medio obtecta; sapor quidquam amarescens, anorexia; sitis aucta in acidula; dolores sub sterno evanidi; tussis minus frequens cum sputis croceis. Hypochondrium dextrum sub adtactu obtuse dolet; pulsus modice frequens, haud debilis, plenus, magnus; urinae largae, brunescentes cum sedimento furfuraceo. — Ipecac. scrup. integer porrigitur. Emulsio amygdalina p. potu. — Comestis jusculis tempore meridiano aeger persentit vomituritiones, quas mox secutus est vomitus materiae viridicantis, amarae, quo peracto quies intravit. — Vesperi nulla peculiaris deferbuit exacerbatio et symptomata characterem nervosum indicantia antea semper vespertino tempore insurgentia, excepto abdomine meteoristice adhuc expanso, nunc ferme abolita sunt. In therapia matutina pergebatur. — D. 13. Mart. Hydroa, urinae furfuraceae et vomitus biliosus criticam praeseferunt significationem. Mitescit

affectio localis, recedit character nervosus, meteorismo exiguo adhuc perstante. — D. 14. Mart. Continuant crises per urinas furfuraceas et alvum pultaceam. Catarrhus quoque per sputa subcocta solvi incipit. Redit character morbi gastrico-biliosus. — Dct. ex rad. gram. fruct. tamarind. āā unc. semis unc. sex, sal. mirab. Glaub. dr. tres, syrup. mannat. unc. semis. Emulsio amygd. p. potu. — D. 15. Mart. Sudores de nocte. Hodie caput liberum, facies hilaris, lingua potissima e parte emundata, sapor genuinus; orexis; sitis normalis; respiratio ad amussim; tussicula cum sputis largis coctis; abdomen ubique liberum, molle excepto hypochondrio dextro, ubi hepar volumine adhuc auctum tangitur; cutis transpirans; pulsus modica frequentia aberrans, alvus et urinae jam notae. — D. 16. et 17. Mart. Reconvalescentia initians. — Dct. rad. Tarax. ex unc. semis, unc. sex sal. Glaub. drach. tres, syrup. cicchor. c. rheo unc. semis. — D. 20. Mart. Sanus discessit.

7. Febris intermittens.

Febres intermittentes per hujus anni curriculum in nostro clinico tractatae variis formis et characteribus et quidem typo quotidiano, tertiano, duplicato et triplicato quartano, charactere gastrico-bilioso, et mere nervoso indutae observabantur, quarum nonnullae hepatis lienisque infarctu comitatae visebantur. Binae intermittentes tertianae anticipantes vitam in ultimam fere dimicationem conjecerunt, quarum una

frigoris stadiis tetanum ferme aemulantibus, altera rapida humorum dissolutione necem parare festinabat.

In intermittentibus gastrico-biliosis remedia leniter solventia et alterantia, uti gramen, tamarindi, taraxacum, tartarus tartarisatus, sal Glauberi, tartarus emeticus, exoptatum praestiterunt officium, quibus serius amara, amaro-aromatica auxilio mittebantur; reliquas complicationibus dispulsis, imo, si in mora periculum erat, misso omni complicationum obfuscantium respectu illico sulphate chininae debellare oportuit.

Miles rei tormentariae gregarius 9. Aprilis meridie absque ullis prodromis algore tam intenso impetebatur, ut per trihorium rigidus et conscientia captus jaceret; subsequebatur aestus nonnisi modicus cum vehementibus in hypochondrio sinistro doloribus et post sudor exilis. Die insequente aeger febris expers quidem, sed admodum debilis expergefiebat; 11. Aprilis hora jam decima et 13. April. octava paroxysmus iterabatur, in stadio frigoris, horas quinque numquam non durante, conscientiae abolitione et vomitu, in reliquis stadiis calore ac sudore modico insignis. Intervalla febre immunia quidem decurrebant, sed intumescentia lienis dolorifica, debilitas et habitus cachecticus rapidissime increscebant. D. 14. April. mane; sal. Glauber. unc. sem. solut. in aqu. foenic. unc. tribus c. tinct. rhei aquos. unc. duabus, et syrup. cichor. c. rheo unc. una ordinabatur, cujus mixturae statim pars tertia, post omni hora cochlear. unum sumebatur.

Meridie omni hora pulverem sumere coepit. Rp. Sulfat. chinin. drachm. dimid., sacchar. mellissae drachm. duas divid. in part. aeq. 10, ita ut 15. April. mane ultimus pulvis consumeretur. Paroxysmus hoc die reformidatus emansit. Diebus duobus febrilibus insequentibus patiens chininam dosi sensim descendente et post decoct. cort. peruv. et lig. quassiae c. syrup. cort. aurantior. — nec non diaetam nutrientem accepit, et 25. April. bene nutritus et fortis clinicum deseruit.

Febris intermittens quartana putrida, cum haemoptoë symptomatica, et physconia lienis.

C. R. Austriacus, miles gregarius, 25 annorum, constitutionis fortis, temperamenti vivacis, cutis tenerae, infans ascite laboravit, diarrhoea larga deciso. Anno aetatis suae 16. ex lapsu ad hypochondrium sinistrum dolores ibidem sibi contraxit trahentes, nunc quoque perseverantes, hinc inde, praeprimis sub motibus vehementioribus exasperandos. Annum 21. agens ex causa inscia corripiebatur derepente haemoptoë, intra breve tempus sine ullo incommodo evanida. Abhinc prospera gavisus est valetudine usque ad 23. Maj. a. c., ubi circa meridiem sine ullis prodromis frigore corripitur, quod horae spatium expleverat, subsequis aestus sudorumque stadiis, quo posteriore sub vehementibus tussis insultibus sputa cruenta ejicit larga quantitate. — D. 24. — 25. Maj. Excepta delassatione modica apyrexia plenaria. — D. 26. Maj. Circa meridiem eadem symptomatum memoratorum eodem ordine

sese excipientium iteratur scena, — d. 27.—28. Maj. apyreticis debilitate et delassatione perceptibiliori relicta. Mixtura amarescens a medico suae cohortis porrecta sine ullo effectu deglutitur. — D. 29. Maj. Paroxysmo circa idem tempus tertio exantlato, tanta virium clades physiognomiae alteratio et debilitas inducitur, ut — d. 30. Maj. in nosocomium mitti debuerit. In scholam medico-practicam susceptus, caput offert calidum, vertiginosum; oculos languidos; colorem faciei luridum; physiognomiam alteratam; gingivam laxam, tumidam, sanguinem facile plorantem; halitum graviter foetentem; respirationem frequentem, citatam, pro parte abdominalem; dolores in hypochondrio sinistro jam memoratos; lienem tumidum; thermogenesim auctam; alvum ex heri constipatam; pulsum fortem, rarum, quidquam contractum. Tantis ex tribus paroxysmis organismo detrimentis illatis mora vix consulta censetur, hinc pulveres sex ex sulphat. chinin. gr. duodecim et sacchar. alb. drachm.; aq. font. c. acido tartarico et sacchar. alb. p. potu exhibentur, et summa ob haemoptoën corporis quies commendatur. — D. 31. Maj. Nox somno transacta nequaquam reficiente. — Mane circa horam nonam pulveribus chininae duobus vix sumtis paroxysmus moderatus crastina die exspectatus revertitur. Seponuntur pulveres, porrecto nonnisi potu acidulo. — Vesperi aeger sudore largo perfusus; magna debilitas; caput tentatum; minor physiognomiae alteratio et faciei turgor; tussis modica cum sputis cruentis parcis; dolores in hypochondrio sinistro

mitescentes, solum sub contrectatione rudiori et situ laterali sinistro augentur; alvi stypsis perseverat; urinae largae, coloris brunei; pulsus ad normam frequens, plenus, liber. — Paroxysmo nondum finito usus sulphatis chinin. adhuc procrastinatur. — D. 1. Juni. intervallum paroxysmi hesterni offert plenarie apyreticum, remanentibus febris effectibus multum emelioratis. — Circa meridiem qui heri intravit paroxysmus, hodie exspectatur. Pulverum ordinatorum singulus omni hora sumitur; reliqua eadem. — Loco paroxysmi tempore meridiano exspectati, somnus intrat reficiens, prorumpentibus sudoribus parum foetentibus. — Vesperi caput liberum; sitis nulla; respirium normale; tussis fere nulla; sputa mere mucosa; dolores hypochondriaci minores; urinae largae, minus profunde tinctae; alviductio nondum sequuta; pulsus rarus, mollis, debilis. Securitatis gratia therapia eadem continuatur. — D. 2. Juni. Vultus hilaris; laetus faciei color; sitis nulla; foetor animi imminutus; gingiva detumescit, solidescitque; dolores in hypochondrio mites; urinae largae, bruneae sine sedimento; alvus larga, conditionis normalis; pulsus ut heri. Therapia eadem. — D. 3. Juni. Febris intermittens cum effectibus suis trucidata, excepta debilitate et levi lienis intumescentia et sensilitate. Sulphas chinin. superfluus, nonnisi ad dies apyreticos relegandus. Infus. aquos. ex herb. trifol. fibrin. dr. trib. ad colatur. unc. sex cum tinct. aromat. acid. Mynsicht. scrup. et elaeosacch. foen. dr. — Vini austr. libr. pro potu. — Vesperi aeger

de prospero valetudinis statu extra lectum superbiens, nonnisi de debilitate conqueritur. — D. 4. Juni. Levis febris admonitio, caput enim accusatur vertiginosum; physiognomia minus laeta; oculi languidi; sitis major; thermogenesis aucta; urinae parcae, turbidae cum sedimento rosaceo; pulsus normali frequentior, debilis, duriusculus. Therapia hesterna; limonada insuper tartrica. Per diei decursum febricitans somno indulget, levantibus sudoribus coronato. Sub crepusculo afebrilis revertitur morbi imago. Ad scintillam febris adhuc gliscentem, radicitus extinguendam febrifuga resumitur therapia. Sulphat. chinin. gr. sex cum sacch. in pulv. sex. — D. 5. Juni. Febris abacta, cum hac simul haemoptoë symptomatica penitus, physconia lienis pro maxima parte, restante solum effectuum ex morbo relictorum vix umbra. Reconvalescenti mixtura 3. Junii propinata, omnino convenit. — D. 6. Jun. Reconvalescentia spe citius ad finem properat. Resarcitur materia organica, functionum tenor vigorque pedetentim restituitur. Mixturae ab aegro recusatae substituitur infus. ex rad. acor. dr. duabus parat. ad colat. unc. sex, cum tincturae amar. dr. duab. — D. 7. Junii, qua pyretica pulveres duo ex sulphat. chinin. gr. quatuor. — D. 8.—9. Jun. Diebus praecedentibus rapide processit convalescentia, nunc nescio cujus culpa quidpiam cunctatur. Languet enim vultus, viresque adhuc debilitatae accusantur. Praeter mixturam supra nominatam amaro-aromaticam sulph. chinin. gr. duo.— D. 11. Jun. Sub regimine congruo, therapia et diaeta

roborante, vires morbo consumptae ita recuperantur, ut aeger nunc perfecte sanus dimitti queat.

8. Febris depascens.

Febris depascens, superveniente cardiopalmo.

Puer decem annorum, tenerae constitutionis, temperamenti irritabilis, habitus scrophulosi, vaccinatus, parentum sanorum proles, infans morbillis et inde evoluto hydrope anasarca decubuit, serius tinea capitis et crusta lactea laboravit. Triennio abhinc saepe saepius cardiopalmo vexabatur, qui tamen semper sponte evanuit. Ante septem hebdomades febre adfectus catarrhoso-gastrica, primis diebus lectum quidem custodivit, serius autem adhuc valetudinarius omni regimine neglecto diaeta utebatur incongrua, quo factum est, ut morbus primarius non dijudicaretur, imo potius praeprimis ex ultimis duabus septimanis, debilitas, lassitudo et emaciatio in dies magis prodierint. Quotidie enim post quemlibet pastum horripilationibus corripiebatur cum subsequente aestu fugace et rubore genarum; neque vesperi motus febriles cum debilitantibus sudoribus nocturnis defuere. — D. 23. Jan. in clinicum susceptus sequentem adtulit morbi imaginem. Caput ossibus frontalibus quidpiam prominentibus insigne, capillis flavis obsitum; physiognomiam tristem; faciem calentem; genas rubore circumscriptas; oculos in orbitam retractos; pupillam dilatatam; obtutum languidum; nares aëri per-

meabiles; linguam puram, sicciusculam; appetitum vigentem cum ciborum farinosorum panisque sicci desiderio; sitim adauctam; respirationem citatam, ceterum normalem; nullam cordis palpitationem et tussim; abdomen quidpiam expansum, ceterum molle, tractabile, omnis contrectationis patiens; alvum ex heri silentem, alias diarrhoicam; cutim siccam, aridam, halitum acescentem spirantem cum temperatura normalem excedente; pulsum normali frequentiorem, parvum, duriusculum; maciem totius corporis praeprimis extremitatum sat conspicuam; debilitatem et dedolationem artuum magnam. Extr. cent. minor. drachm. in aqu. dest. foenic. unc. quatuor. solut. cum syrupo cort. aurant. unc. semis. Dtum. salep. cum sacchar. p. potu. Caro assata pro victu. Somnus de nocte ob insomnia vivida interruptus. Calorem febrilem post mesonoctium sudores excepere acescentes totum corpus irrorantes. — D. 24. Jan. Luculenta febris remissio; a meridie post pastum praegressa levi horripilatione calor intravit febrilis; sic neque vesperi, uti consuetim, aeger exacerbatione vespertina immunis erat. Therapia eadem. — Calor vespertinus in noctem protrahebatur et post mesonoctium sudores prorumpentes universales superficiem corporis udam reliquerunt. — D. 25. — 27. Jan. Duplex quotidie celebratur exacerbatio pomeridiana et vespertina; effectibus febris hecticae in dies magis in conspectum venientibus. Dcto. infusum ex lich. island. et sem. foenicul. aa dr. duab

ad colat. unc. sex, lactis recent. muls. libr. — D. 28. Jan. Mane eadem morbi facies offertur ac secus. De nocte sudoribus largissimis coopertus insomniis terrificis expergefactus summam pectoris oppressionem et cordis palpitationem persensit, et sitim tantam, ut praeter potum ordinatum sat magnam quantitatem aquae superimbiberit. — D. 29. Jan. Praeter signa febris in remissione matutina versantis respiratio quidpiam citata; palpitatio cordis admota manu in latere sinistro percipienda sat vehemens cum pulsuum vibratione isochrona; oppressio pectoris evanida; pulsus aequalis, normali multo frequentior, fortior, contractus. Omittitur medicina, continuatur potus. De die cardiopalmus sensim mitescit; de nocte sudoribus largis absolutis novo aeger cardiopalmi insultu plectitur, ast multum vehementiore. — D. 30. Jan. Mane praeter febris remissionem matutinam cardiopalmi vix vestigium. Ast circa horam nonam vespertinam subito tanta ingruit cordis palpitatio, ut respirationem plane inhibuerit, oppressionem pectoris, anxietatem, cephalaeam, vertiginem, calorem imo ardorem in regione cordis causaverit, quibus post mediam horam sensim evanidis somnus intravit ad matutinum usque tempus perseverans. — D. 31. Jan. Caput liberum; facies pallidior ac alias; appetitus viget; sitis modica; lingua pura, humida, respiratio quidpiam citata; cardiopalmus minor adhuc ac die praecedente; situs in utroque latere concessus; abdomen molle, tractabile; urinae sanorum; alvus bis

deposita conditionis fluidae; cutis mollis temperaturae normalis; pulsus normalem solum frequentia excedens. Quum de nocte eadem cardiopalmi scena tumultuosa iteraretur, — 1. Feb. infus. ex herb. digit. purp. gr. quatuor ad colat. unc. sex, cum syrup. simpl. unc. pro mixt. et dtum. salep cum syrup. rubi idaei p. potu ordinabatur. — Vesperi et febris et cardiopalmi exacerbatio modica. De nocte nullus cardiopalmi insultus. — D. 3. Febr. Digit. p. ad gr. sex augetur et potui elixir. acid. Hall. gutt. decem admiscentur. — D. 5. Febr. Exacerbationes febris quotidianae in dies magis mitescunt, non increscit emaciatio, imo aeger firmiorem se sentit. Cardiopalmus quoad frequentiam et fortitudinem minuitur. — D. 8. Febr. Continuat morbi emendatio, augetur digit. p. ad gr. octo et elix. acid. Hall. ad guttas quindecim. — D. 10. Febr. Sic aeque his diebus. Ast de noctu per ejulatum aegri in proximo lecto jacentis, magno terrore perculsus nova cardiopalmi recrudescentia persentitur. Augetur digit. ad gr. decem. — D. 11. — 13. Febr. Hisce diebus nox semper quieta absque insomniis terreficis transigebatur; sudores nocturni penitus defuere; remissiones matutinae ex sola pulsuum frequentia cognoscebantur et exacerbationes vespertinae prioribus multum mitiores exantlabantur; cardiopalmus vero non aequali ratione decrescebat. — D. 14. — 18. Febr. Nisi tempore vespertino pulsus frequentia excederet, vix febrem adesse defenderetur. Palpitatio cordis normali jam proxima. Auge-

tur adhuc digit. ad gr. duodecim. — D. 19. Febr. Physiognomia hilaris; lingua pura humida; sapor normalis, appetitus vividus; respiratio ad normam; situs in omni latere concessus; cardiopalmus nullus; pulsus normalis; debilitas et macies recedunt. Omissa digitali resumitur inf. ex lichen. island. dr. duab. p. cum syrup. cortic. aurantior. semiuncia. Potus idem continuatur. — D. 20. Febr. Ex incognita causa insultus revertitur febrilis, et cardiopalmus quoque recrudescit. Omissa mixtura therapia continuatur. — D. 21. — 26. Febr. His diebus tractamen optimo cum effectu continuatur. Somnus est quietus; appetitus bonus; cardiopalmi et febris nulla observantur vestigia; vires sensim increscunt et materia organica resarcitur. Infus. lichen. island. ex dr. duab. p. ad colat. unc. sex, lact. vacc. r. muls. libr. semis, sacch. albi unc. semis. — D. 27. Febr. et 5. Mart. Puer medicamento et potu seposito in clinico sanus adhuc moratur et 8. Mart. valedicit.

Febris depascens ex viscerum abdominalium induratione.

Th. F. coelebs, tricenaria, temperamenti vivacis, constitutionis sat fortis, vicesimo demum aetatis anno catameniis salutabatur, quae quantitate semper parca fluentes, mox anticipavere, mox postposuere, donec 27. aetatis anno penitus emanserint. Hoc eodem anno iritide syphilitica correpta, ex remediis, quae in hunc scopum congrua adhibebantur, fere quotidie insultus

cardialgiae perpessa est. Sanatione iritidis impetrata, insultus cardialgici singulis duabus aut tribus septimanis breves quidem, ast intensiores revertebantur, nihilominus congruo regimine diaetetico, assidue observato, differendi, donec 29. aetatis anno penitus siluerint. Verum vero circa finem hujus anni cardialgia pro tempore tantum consopita, majori cum acerbitate reviviscebat; singulis diebus binos ternosque insultus celebrans ac typum quodammodo regularem observans ita, ut insultus nunc per quatuordecim dies tempore antemeridiano, nunc per totidem dies pomeridiano intraverint. Serius majorem intensitatis gradum adepti, brevissimis intervallis disjungebantur et sub summis ventriculi doloribus vomitu materiae aquosae, saporis jam aciduli, jam amari consociabantur. Per omne hoc tempus appetentia ciborum fuit prostrata et alviductiones segnes. Remedia in usum vocata antispasmodica: chamomilla, melissa, flores aurantii et postremo oleum juniperi nonnisi pro momento levamen praebuerunt aegrae, qua ex causa anno praeterlapso auxilium in clinico nostro imploravit, et sub tractamine adaequato post duorum mensium spatium sanata dimissa est, si alvi stypsim nonnunquam intrantem excipias. Medio circiter mense Martii a. c. diarrhoea laboravit, quae ab aegra neglecta post tres menses eum adipiscebatur gradum, ut involuntarie et absque omni dolore alviductiones contigerint, accedentibus ructibus frequentibus, ova putrida redolentibus, et ex 27. die Junii doloribus in regione inguinali et

lumbali trahentibus, urentibus, pungentibus et ad femora usque sese extendentibus, tumore ibidem duro, calido, formae oblongae, ad magnitudinem pugni. Iterata vice levamen in clinico nostro speravit. Venaesectionibus, mixturis oleosis, cataplasmatibus emollientibus et balneis universalibus dolores, nec non tumoris volumen imminuebantur, quin alviductiones sisterentur. Post sex dies aegra similes dolores persensit in regione inguinali sinistra, superveniente tumore ibidem majore ac in parte dextra, duro, calido. Hirudinibus iteratis vicibus applicatis et cataplasmatibus et interne emulsione amygdalina postmodum et mixtura oleosa propinatis, dolores imminuebantur, tumor partis sinistrae evanuit, perstante et sensim sensimque crescente illo in latere dextro, alviductiones cessarunt, ita, ut alvus nunc constipata existeret, nunc vero iterum frequentius deponeretur, perstantibus ructibus creberrimis. Hoc in statu aegra die 22. Julii sub finem anni scholastici a clinico in divisionem transportabatur, ubi ex vitio diaetetico commisso ructus imo et vomitus rerum ingestarum, his deficientibus materiae aquosae, muco tenaci mixtae, flavescentis sub valida ventriculi et partis thoracis inferioris constrictione et sensu quodam urente sibi acquisivit, doloribus in tumore supra nominato recrudescentibus, nunc pungentibus, nunc pulsantibus. — Hirudines, cataplasmata emollientia aliaque remedia antiphlogistica omni destituebantur effectu, imo dolores in parte tumida ad extremitates extendebantur, durities tumoris adauge-

batur, singultus, ructus et vomitus frequentissimi perstabant et debilitas de die in diem major evasit, ita, ut incessus penitus fere denegaretur; tandem et praecipue post meridiem calor in palmis manuum et plantis pedum urens cum aestu totius corporis intensissimo et modicis sudoribus nocturnis accessere. Aegra die 8. Octob. in clinicum nostrum suscepta nimiopere emaciata; facies collapsa, pallida, cerae flavae adinstar; oculi languidi, labia sicca, livida; lingua humida, muco albicante tecta; sitis magna; appetitus prostratus; ructus frequentissimi, acida redolentes cum sensu urente in ventriculo et oesophago; sapor amaro-acidulus; glandulae mammales plane consumtae; abdomen nimis expansum, sensile, in scrobiculo cordis, praecipue in hypochondrio sinistro; in parte abdominis hypogastrica dextra tangitur tumor, a ramo ossium pubis lateris dextri transverso sursum fere usque ad umbilicum, retrorsum ad lumbos et duos pollices post lineam albam ad regionem hypogastricam sinistram sese extendens. Tumor margine palpabili circumscriptus, durus, fere lapideus, quocumque, praeprimis retrorsum mobilis, magnitudinis pugnorum duorum, formae oblongae, versus latus sinistrum acuminatae, sensum causat, ac si corpus peregrinum abdomini incumberet; sub attactu dolores ibi pungentes usque ad extremitates inferiores sese extendentes. Alvi stypsis diuturna; aegra saepe conqueritur de gasteralgia, enteralgia et vomitu materiae aquosae, ex flavo-fuscae, nec non gasis evolutione copiosa in ventriculo et inte-

stinis; urinae turbidae, rubrae; cutis flaccida, pallida; calor fugax, praecipue post prandium et ad vesperas in palmis manuum volaribus et plantis pedum ardens; cum sudore subsequo; magna adcusatur debilitas atque artuum dedolatio; pulsus frequens, sat fortis, aequalis, duriusculus. — Ob causam morbi insanabilem cura mere palliativa, symptomata graviora et molestantia: agrypniam, vomitum, flatulentiam et alvi stypsim respiciens, et sic vitam sublevans et procrastinans instituebatur. Propinabatur mixtura oleosa cum aqua laurocerasi, aqua foeniculi; — acetas morphii, serius morph. puri omni vespere $\frac{1}{4}$ gran.; — magnesia carbonica; — pulveres aërophori ad vomitum compescendum; — cataplasmata et clysmata emollienta. — His remediis sub diversissimis formis in usum vocatis, symptomata non mitigabantur morbosa, imo summum adsequuta sunt fastigium. — Vomitus quandoque ter, quater imo et quinquies per diem intravit, non solum cibis sumptis, sed et jejuno ventriculo; — huic — et ructibus singultus se adsociavit frequentissimus et lipothymia, praeprimis ante febris exacerbationem bis de die intrantem et sudoribus largioribus et viscidis finientem. Tandem die 3. Nov. viribus exhaustis, exoptata mors luctuosam clausit scenam.

Necroscopia.

Summa totius corporis emaciatio; calvarium tenue, hinc inde transparens. Dura mater pergamenti ad instar

quidpiam incrassata; intra gyros cerebri serosa exsudatio. Cerebrum egregie evolutum, solidum; in utraque camera laterali drachmae duae seri diaphani; in fundo cranii ejusdem seri circiter semiuncia; cerebellum aeque egregie evolutum ac solidum. Pulmones omni intuitu normales; cor exiguum, fluido glutinoso obtectum, maculis albidis hinc inde obsessum; omenta ferme consumta hinc inde grana subdura continent; facies superior hepatis diaphragmati adnexa, viscus ipsum debitae magnitudinis ac structurae, idem valet de liene. Vesica fellea bile spissa ex atro-viridicante expansa. Ventriculus multum expansus, triplicis circiter voluminis, ex situ normali detrusus ita, ut arcus inferior versus hypochondrium sinistrum, superior vero versus oppositum vergat, exitus vero in cavum abdominis depressus, pylorus cum intestino duodeno ascendente versus situm normalem; continet ventriculus circiter 8 ℔ fluidorum consumtorum cum residuis ex cibis; pylorus ad lumen calami scriptorii circiter coarctatus per massam fere cartilagineam; renes flaccidi, pallidi; pancreas ad normam; intestina tenuia admodum coarctata, crassa vero minus; uterus et vesica urinaria urina modice expansa, ad normam; ovaria ex situ normali detrusa, ita, ut sinistrum dextro incumberet, illudque in cavum pelvis deprimeret, ubi intestino recto ope fibrarum membranosarum adnexum est, volumen ipsorum adeo adauctum, ut quoad longitudinem circa pollices sex, quoad latitudinem ad quatuor circiter metiatur, pondusque singuli illud librarum duarum superet; structura eorum fere omnis alienata, nam perstante hinc inde intus normali textura, maxima ex parte cartilaginem praecipue in facie externa aemulatur, et praeterea foveolam modicam in massa sinistri exhibet, quae pure inveniebatur repleta.

II.

INFLAMMATIONES.

Inter inflammationes sat frequentantes nonnullae pneumonitides et hepatitides, quarum depictiones breves aliquot hujus opusculi paginas complebunt, gradu solito altiore et peculiari decursu excelluere. Praeterea haud exigua anginarum, catarrhorum et rheumatum caterva grassabatur; pleuritides, peritonitides et enteritides rarescebant. Ex formis inflammationum rarius occurrentibus delirium cum tremore, ischialgiam, binas carditides, dysenteriam putridam morte terminatam memorare e re erit.

De harum morbi formarum decursu et tractamine id monere sufficit, organorum spirantium inflammationibus peculiarem in diuturnas blenorrhoeas nisum infuisse, et peripneumonias et hepatitides etiamsi vehementiores raro plures ac unam venaesectiones et in genere nullam strenuam et diu continuatam methodum antiphlogisticam admisisse.

Meningitis.

Miles tener, 26 annorum, 24. Apr. valida pleuropneumonia rheumatica adfectus in clinicum suscipitur. Efficaci methodo antiphlogistica symptomata pectoralia tertia tractaminis die fugantur; ast febris increscit et omnia gravis encephalitidis signa cum deliriis furentibus concurrunt. Viginti hirudines retro

aures, epithemata enkephali glacialia, sinapismi ad extremitates et vesicantia intra scapulas, cum interno tartari emetici et aquae cerasorum nigrorum usu morbum tertia curae die per sudores, urinas et sputa ad dijudicationem cogunt.

Laryngo-tracheitis catarrhosa cum aphonia superstite.

F. S. miles gregarius, 21. annorum, temperamenti böotici, constitutionis laudabilis, 15. Oct. tussi jam levi adfectus sub tempestate pluviis et ventis asperis admodum adversa vigilias egit; in cubile excubitorum reversus corpore exaestuato aquam potavit perfrigidam, unde illico dysphoriam, capitis gravitatem, sensum titillationis in larynge et tussis exacerbationem percepit. Febris inde evoluta inflammatorio-catarrhalis, quum penitus neglecta fuisset, et aeger continuo novis semet exposuisset noxis, omnem vim suam in laryngem refudit, raucedinem et dein plenariam aphoniam post se trahens. Quies in lecto, diaeta strenua et dctm. alth, quod medicus consultus ordinavit, nihil profecit; 23. Oct. in clinicum suscipitur: Caput gravatum, nullibi tamen dolorificum; oculi vivaces splendentes, erga lucem sensiles; facies calens, rubens et turgens; labia rubra ac cavum oris sicca; sapor fatuus, appetitus imminutus; sitis vero intensa, frigidis acidulisve fallenda; lingua humida pura; palatum molle cum faucibus laete rubris, volumine ad normam. In regione laryngis atque tracheae dolor ar-

dens, asperus, fixus et continuus, deglutitione, loquela, tussi et attactu harum partium acuendus, et pungens, secus obtusus; sensus caloris ibidem adaucti et plenitudinis; vox sibilosa; sermocinatio ardua tussim ciens; thorax optimae conformationis; sub manubrio sterni ingratus titillationis et tensionis sensus; respiratio citata, frequens intervallis haud magnis tussi interrumpitur sat valida, ast brevi, et sputis subsequis parcis seroso-mucosis notata, ceterum libera atque aequalis; respirium profundum facile peragitur; spiritu autem diutius retracto dolores in utroque pectoris latere excitantur pungentes; situs in omni latere conceditur; alvus et urinae ad normam; calor cutis intensior; pulsus normali frequentior, fortis, duriusculus. — Dcti. rad. alth. unc. sex, inf. senn. c. manna. unc. duae, syrup. simpl. unc. sem. p. mixtura. — Dtum. spec. alth. c. inf. liquirit. p. potu. — Cataplasmata emollientia ad collum, de nocte cum linteaminibus calefactis commutanda. — Nocte magna inquietudo ob aestum internum tussimque vehementem, post mesonoctium leve transpirium, tussis mitior somnusque quietus. — D. 24. Octob. Conspicua febris remissio, ast ardor obtusus cum plenitudinis sensu, aphonia, titillatio sub manubrio sterni ac heri, pulsus quidpiam mollior frequens, tamen fortis et plenus. — Hirud. med. Nro. 8 in vicinia laryngis applicandae; — stillicidium sanguinis linteamine calefacto per aliquod tempus sustinetur, et postmodum cataplasmata iterum in usum vocantur. Tussis per diem rarior,

remissio ardoris et plenitudinis sensus. — D. 25. Oct. De nocte modicus sudor et quies. Mane facies composita; pulsus accedit normali; ardor in titillationis sensum delapsus; loquela, deglutitio et pressio harum partium externa minorem ciet dolorem; pectus liberum; tussis rarissima; sputa sat larga ast cruda; aphonia immutata. Therapia omissis hirudinibus manet. — D. 26. Oct. Nox somno quieto perducta; perseverat aphonia; levis titillatio in larynge et trachea; tussis rarissima cum sputis minus copiosis, griseis, tenacibus, crudis; alvus bis deponitur; urinae largae sanorum. Loco inf. senn. c. manna — mannae elect. uncia mixturae adjicitur, cataplasmata seponuntur. — D. 27. — 28. Oct. Tussis fere nulla, praeter aphoniam ejusdem gradus et sensum in larynge titillationis nil abnorme. — Pulv. altern. Plumeri gran. duo, sacch. alb. scrup. — mixtur. et pot. continuantur. — D. 29. — 30. Octob. Sopitus iterum recrudescit catarrhus febrilis. Seponuntur pulv. Plumeri. — Mixt. oleos., cataplas. et insequente die hirudines decem. — D. 3. Nov. Praeter aphoniam nulla morbosa, nam febris evanida, catarrhus per sputa dijudicatus cocta. Resumuntur gran. duo pulv. Plumeri, continuatur mixtur. oleosa, seponuntur cataplasmata. — Augetur diebus insequentibus dosis pulv. Plumeri paulatim ad gran. sex; — ungt. ex anaticis (drachm. duab.) partibus ungt. hydrarg. ciner. et ungt. digital. in regionem laryngis infricatur; ordinatur gargarisma ex decoct. alth. c. muriat. ammoniae gr. duodecim;

postmodum scrupulo et oxym. simplic.; tandem (d. 13. Nov.) et denudata in regione sterni ope vesicantis plaga, per ungt. mezerinum continuo suppurans sustentatur. — Aphonia pertinaciter resistit. — Die 18. Nov. Circa plagam suppurantem erythema oboritur et febris. Omittuntur pulv. Plumeri; plaga suppurans ope ungt. simpl. deligatur; porrigitur inf. senn. c. manna. Disparet post tres dies tum febris, tum erythema. Itidem pulv. Plumeri ad gran. tria, gargarisma, mixt. oleos. et deligat. c. ungt. mezerino. Ast nullus exinde ut antea respectu aphoniae effectus. Omissis denique d. 27. Nov. praeter deligationem medicamentis, die 30. Nov. praescribuntur; sulfureti lixivae gr. duo, aqu. dest. com. unc. quinque, syrup. simpl. uncia. — Deligatio continuatur. — D. 4. Dec. Mane hilari nobis aeger arridet vultu seque vocem recuperasse gloriatur. Hoc ut comprobet, vocem proferre tentat, ast irrita sunt tentamina, vocem normalem emittendi. Etenim vox admodum profunda et rauca sub ulteriore intentione pulli ad instar pipientis in sublimem et tenuem abripitur. Nihilominus aliqua saltem in voce modificatione obtenta, hepar sulphuris ad gr. tria augetur. — Die 5. Dec. Vox conspicue emendata, aeger non solum sonum profundum diutius retinere, sed etiam minus fluctuando sermonem serere valet. Sputa critica nulla. Therapia eadem, mora extra lectum conceditur. — Die 6. Dec. Vox fere ex integro restituta — hepar sulph. ad gr. duo restringitur, ungt. mezerin. seponitur, et ungt.

simpl. substituitur. — Die 7. — 11. Dec. Usu continuato vox penitus ad normam reducitur, et aeger ex integro sanus dimittitur.

Pneumonia phlegmonosa sinistra in individuo phthisico.

M. Ph. puella 21 annorum, constitutionis tenerae, habitus phthisici, temperamenti cholerico-sanguinei, ex matre phthisica oriunda, infans tinea capitis pertinaci laboravit, pubertatis periodo demum abacta. Anno decimo quinto, menses absque ullis incommodis primos celebravit, qui abhinc quoad typum normales omni mense justa quantitate et qualitate fluxere. Decimo septimo cholera et decimo nono influenza correpta feliciter reconvaluit. Eodem anno quoque concepit, et post normalem graviditatis decursum prolem edidit imbecillem post sex menses defunctum. Ab hoc tempore saepius per diem praeprimis ad vesperas horripilationibus a spina dorsi inchoantibus vexatur; subsequitur aestus fugax, admodum molestus et sudores acidulum spargentes odorem et defatigantes ad diluculum insultui febrili finem imponunt. Comitantur hunc insultum coryza, tussicula cum sputis parcis, globosis, albicantibus, in hypochondrio sinistro sensatio plenitudinis, dolores ibidem pungentes nonnumquam obtusi. Remedia in usum tracta antiphlogistica aliquod dolorum lenimen adtulere, quin tumor dolorque in regione lienis et tussicula brevis ex integro abolita fuerint, donec

post validam animi exagitationem ante dies octo itinera tempestate admodum infausta faciens omnia recrudescerent, accedente cephalaea, ineffabili aegritudinis sensu, oppressione pectoris et magna corporis dedolatione. Morbo in dies ingravescente d. 2. Nov. ad vesperas auxilium medicum in clinico implorat: Cephalaea frontalis, premens, maxime supra radicem nasi nidulans; oculi splendentes lacrymantes, erga lucem sensiles; nares siccae et obturatae; genae rubore laeto circumscriptae; labia sicca, lingua pura, humida; sapor non alienatus; appetitus prostratus; sitis magna in acidula et frigida directa; thorax angustus; sternum paulum depressum; ibidem sensus oppressionis, ac si pondus pectori incumberet, quae oppressio inspirio profundo et sermocinatione increscit; respiratio obliqua, citata, difficilis, brevis cum halitu calente; inspirium profundum tussim, doloresque pungentes in hypochondrio sinistro ciet; tussis brevis, frequens, intercepta, sicca sensum pressionis in pectore et dolores pungentes in regione lienis auget; situs ubique concessus in latere sinistro praediligitur; hypochondrium sinistrum plenum et tumidum cum sensu ponderis et pressionis cum doloribus pungentibus, obtusis, sub situ in latere dextro et quibuscumque intentionibus adaugendis; cutis tenera; temperatura aequabiliter per omne corpus amoene adaucta; urinae nondum visae in statu erecto sub tussi involuntarie fluentes; alvus constipata; pulsus normali frequentior, fortis et durus. — Dti. alth. unc.

sex, arcan. dupl. dr. duae, syrup. simpl. unc. — Dtum. alth. c. inf. liquir. p. potu. — D. 3. Nov. Noctem ob tussim inquiete transegit; pneumonia et physconia lienis nullam offerunt mutationem. — Restringitur arc. dupl. ad drachm. — Circa horam nonam ante meridianam frigus intravit per bihorium durans, quod calor et sudor usque ad vesperas perstans excepit; cephalaea aucta; facies magis turgescens, sitis validior; oppressio pectoris vehementior, respiratio magis citata; tussis sicca crebrior, ac mane; alvus clausa; urinae nullae; cutis exaestuata turgescit; pulsus admodum frequens, fortis et contractus. — V. S. ad unc. sept., mixtura eadem. — Emulsio amygdalin. nitrat. p. potu. — Sanguis pleno prosiluit rivo et crustam inflammatoriam sat crassam exhibuit. Aliquot horas post phlebotomiam sensus oppressionis in pectore et cephalaea aliquantulum cessavit. — D. 4. Nov. Nox ob tussim et dolores in pectore prementes insomnis. Hora prima post mesonoctium frigus iterata vice irruit, dimidiae horae spatium explens, calor et sudor sequens erat intensus, et usque ad mane perseverans. — Mane cephalaea minor, facies magis pallet, genae rubore pallido tinctae; lingua normalis; sitis modica; respiratio placidior, profundum inspirium adhuc tussim ciet; tussis rara sine sputis; situs dorsalis praefertur; in abdomine nulla mutatio; alvi stypsis; urinae sanorum; cutis modice calet et transpirat; pulsus normali frequentior, sat fortis, duriusculus. — Continuatur

mixtura et potus. — Circa meridiem levis horripilatio cum aestu fugaci alternans. — D. 5. Nov. Pneumonitis mitigata denuo recrudescit et ad altiorem evehitur intensitatis gradum; febris valida; respiratio citata; increscit sensus oppressionis in pectore; inspirium profundum semper tussim ciet, haec quoque solito frequentior. — V. S. ad unc. sex. — Mixtura et potus idem. Sanguis in pleno arcu profluens largam cruoris copiam cum crustula inflammatoria exhibuit et jam sub operatione mitigatio cephalaeae, oppressionis pectoris et tussis inducebatur. Ad meridiem uti consuetim insultus febrilis; status morbi emelioratus venaesectione inductus vesperi quoque perstitit. — D. 6. Nov. Morbus omnis neque increscens, nec decrescens eamdem offert imaginem. Ad meridiem irruit insultus febrilis absque frigore praegresso. Therapia eadem. — Vesperi exacerbatio solito major. — D. 7. — 8. Nov. Pneumonitis praegressis remediis infracta jacet, ast veri decrementi per crises inducti nulla adhuc indicia conspicua. Ceterum febris, hanc pneumonitidem comitantis, quoad exordium, tempus introitus, decursum et finem eadem ac diebus praegressis, ratio. — Therapia excepta V. S. eadem. — D. 9. Nov. Inflammatio his diebus vix coërcita denuo caput extollit, febre non multum intensa, ast omnem vim suam in unam pulmonis plagam potius concentrare videtur; nam dolores maxime ad unam pulmonis sinistri plagam restringuntur; tussis admodum frequens et sub

omni profunde inspirandi tentamine cietur. In reliqua morbi imagine nulla notatu digna mutatio. V. S. ad unc. sex. — Reliqua manent. — Sanguis detractus etiamsi crustae inflammatoriae expers tamen fibra et cruore abundavit. — D. 10. Nov. Venaesectio omnino illum praestitit effectum, ut perstantibus reliquis dolor fixus uni plagae adstrictus evanuerit. — Dto. infus. ex rad. alth. dr. trib. et herb. digit. p. gr. sex ad colat. unc. sex., arcan. duplic. drachm. tres, syrup. rub. idaei unc. — Calom. gr. duo, sacchar. alb. scrup. duo, in 4. part. div. — D. 11. Nov. Ob alviductionem quater sequutam arcan. dupl. in mixt. omittitur. — D. 12. Nov. Inflammatio pulmonis sinistri gliscens denuo recrudescit; nam respiratio citata, difficilius peragenda; dolor premens in latere pectoris sinistro intensior; inspirium profundum semper tussim ciet. V. S. ad unc. quatuor. — Mixturae nitri dr. semis adjicitur, digitalis p. ad gr. octo augetur, reliquis immutatis. Sanguis placentam offert abundantem cum exigua crusta inflammatoria. — D. 13. Nov. Inspirium profundum nonnumquam tussi excipitur. Jubetur in brachio sinistro fonticulus ope emplastri cantharidum et unguenti mezerini instituì. — D. 13. — 17. Nov. Sub hoc tractamine ea morbi mutatio inducitur, ut sub inspirio profundo rarissime tussis excitetur. Evanuerunt dolores in pectore prementes et sensus oppressionis. Tussis alioquin rarissima sputis flavo-albicantibus, globosis, nequaquam suspiciosis coronatur. Adspectus aegrae

in dies fit hilarior, etiamsi de magna corporis debilitate adhuc conqueratur. Urinae ex aliquot diebus minguntur copiosae, sedimentum mucosum, largum, hinc inde furfuraceum tenentes, ita ut pneumonitidem in stadio decrementi etiamsi segnis versari indubium sit. — Ast physconia lienis tota quanta nullam adhuc experta est mutationem. Insultus febrilis cum omnibus suis asseclis uti consuetim ante vel post meridiem interdum bis revertitur. Suppuratio in brachio adminiculis supra monitis inducta bene procedit. Augetur digit. p. ad. gr. duodecim; — reliqua immutata. — D. 19. Nov. Observantur nonnulli ex protracto calomelanos usu salivationis prodromi: sapor metallicus; gingiva tumida, dolorifica intensius rubens et sub frictione leviori sanguinem plorans; dentes aliquantulum vacillant, sputa cum saliva mixta; — praeterea aliqua in pulsu inaequalitas; nam quintus et septimus pulsus semper emanet. — Omittitur calomel; digit. ad gr. decem restringitur. — D. 20. — 23. Nov. His diebus crisibus per transpirationem, sputa cocta, urinas mucosas et furfuraceas alvumque pultaceam continuantibus tantum inducitur decrementum, ut excepta tussicula rarissima nil morbosi respectu pneumonitidis restet. Effectus medicaminum usu inducti sensim imminuuntur. Etiam lien detumuit cum notabili sensibilitatis imminutione. Febricula sub qua horripilationes in latere sinistro percipiebantur, semel tantum comparuit. Omissa digitali seri lactis libra cum mellag. gram. uncia ordinatur. — Decoct. gram. p.

potu. — Continuatur deligatio. — D. 24. — 25. Nov. Leves adhuc febris post meridiem admonitiones. — Ob alvi tarditatem enema emolliens applicatur. — D. 26. — 27. Nov. Febris nulla; tussicula penitus evanida; grata coenaesthesis; animus hilaris, salivatio nulla; tumor et rubor gingivarum evanuit. — D. 28.—30. Nov. Aegra in cubili obambulans ictus in pectore hinc inde pungentes, fugaces persentit, reconvalescentia ceteroquin feliciter procedente. — Seri lactis libr., extr. tarax. dr. duae p. mixtura, — potu et deligatione continuatis. — D. 1.—7. Dec. His diebus aegra optime valuit, increverunt vires et functiones organicae omnes rite processerunt; imo dolores in pectore fugaces sub continuato tractamine ex asse profligabantur; quapropter aegra ad recidivam adeo proclivis de adaequato regimine servando probe edocta, 7. Dec. ad suos dimittebatur.

Delirium tremens potatorum.

J. K. miles gregarius, 39 annorum, constitutionis fortis, temperamenti sanguinei, habitus apoplectici ex longo tempore immodico spirituosorum imprimis vini cremati usui indulsit et extremitatum tremore praesertim ventriculo jejuno laboravit, qui nonnisi hausto cremato fortiore compesci potuerat. Annum aetatis suae 34. agens derepente artuum tremore perpetuo et validiori et capitis vertigine invadebatur, quae facta venaesectione uno quasi ictu disparuere. Anno subsequente iisdem molestiis mentis functionibus, uti anno praeterito, illaesis abreptus auxilium in

venaesectione iterum reperit. — D. 5. April. a. c. mane tertia vice vertiginis capite, artuum tremore et levioribus extremitatum spasmis invaditur. In hoc statu in nosocomium militare translatus facultates mentis ad mesonoctium usque integras retinuit, ubi subito delirare incepit, et ex lecto prosiliens epileptici ad instar collapsus est. Medicus ad suppetias festinans venaesectionem ad libram institui, fomenta glacialia capiti tonso imponi ordinavit, et emulsionem communem nitratam praescripsit. Ab hoc momento phantasmata jocosa variisque rebus occupata, lectum deserendi conamen et tremor artuum perpetuus aegrum non amplius deseruere et in hoc statu in scholam medico-practicam suscipitur. Die 6. April. Vesper. Facies rubra, turgida, calida; oculi insigniter splendentes, vivaces, continuo motu abrepti; anguli oculorum interni rutilantes; pupilla dilatata; iris vero contra lucem sensilis et nimiopere mobilis; facies jam jocosa, modo composita modo severa; loquela mobilis clara et distincta; continua loquacitas. Aeger status sui et loci ubi versatur inscius garrit de occupationibus domesticis, officiis et vigiliis, commilitonibus, amata, infantibus, diversoriis, cerevisia praeprimis de harengis, quos ubique locorum videt. Stragula manuum pedumque pro ocreis habet angustis, quas detrahere non potest. Quaecumque autem delirat, placide atque jocosa ratione profert. Rerum praeterlapsarum inter omnia maxime memor nonnumquam pluribus interrogationibus concinne respondet. Lingua rubra, levi

muco albicante obtecta; appetitus normalis; sitis avide in cerevisiam directa; deglutitio, respiratio nec non abdomen sanorum; alvus clausa; pulsus normali frequentior, minimus, durus, contractus. Brachia praeprimis manus et digiti semper moventur, tremefiunt, palpitant et convelluntur, sic etiam extremitates inferiores; caput modo in hanc, modo in aliam regionem dirigitur sub magna corporis inquietudine et perpetuo situm permutandi nisu. — Ligatio aegri ad lectum. — Dcti. rad. gram. c. unc. sex, tart. emet. gr. tria, syr. simpl. unc. sem. p. mixtur. — Calom. gr. duo, sacchar. alb. dr. in part. sex div. — Epithemata glacialia ad caput. — Limonada citrica p. potu. — Hirudin. med. Nro. 12 retro aures applicandae. — Medicamenta lubentissime sumit praeprimis medicinam et potum, quos cerevisiae loco haurit. Hora 10. hirudinibus applicitis quietiorem et mitiorem se exhibet. Post mesonoctium vespertinus revertitur status, largo aeger cooperitur sudore et somno penitus spoliatus noctem deliriis consuetis explet. Die 7. April. Facies notabiliter pallet et relate ad statum vespertinum collapsa, ardens, praeprimis regio frontalis; reliqua uti heri; abdomen quidpiam expansum, resonans, indolorificum; alvus adhuc clausa; urinae non missae; cutis ubique locorum amoene calet, sudore humectata; pulsus propter continuum musculorum et tendinum lusum difficilis exploratu, parvus, contractus facile comprimendus. Lusus artuum tremens continuus ex heri quidpiam mitior; turbatio functionum intellectualium co-

dem tenore. Vinculo soluto caput sub sessione adcusatur temulentum, gravatum faciesque pallescit. Manuum motus deliriis correspondent; aeger manu porrecta imaginaria objecta captare tentat, stragula, lecti integumenta quaeque alia in vicinia sunt, singulari modo contrectat, plicat et quasi digitis explorat. — Augetur tart. emet. ad gran. quinque. — Calom. gr. tria, morphii p. granum, sacchar. alb. drachm., divid. in 6 p. aeq. — Emplast. cantharid. ad pectus et inter scapulas. — Fomenta glacialia continuanda. — Ad alvum movendam inf. senn. c. manna unc. tres, sal. amar. unc. semis, syrup. mannat. uncia. — Per diem status matutinus parum mutatus; alvus larga quantitate pultacea semel excreta; urinae parcae, flammeae. — Vesperi aucta symphoreseos ad enkephalon signa. — Reliquis manentibus, hirudines 12 ad tempora et retro aures applicantur. — D. 8. April. Deliria ante mesonoctium mitiora. Aeger hinc inde somno brevi detentus, verba fatua profert, perstante artuum tremore. Reliquam noctis partem vigil transigit, et sub iterato conamine, sese erigendi et aufugiendi, промо ferociter delirat. Sub borborygmis frequentibus flatus et alviductiones iteratae perquam fluidae secedunt, lectum inquinantes. — Mane caput adhuc temulentum, gravatum praecipue sub sessione; oculi vivaces, lacrymantes, splendentes; lingua muco obtecta, humida; sitis valde adaucta, in crematum directa; respiratio normalis; abdomen expansum resonans; cutis amoene calens, sudans; pulsus exploratu difficilis, parvus, contractus. Perstat

lusus artuum tremens continuus et aequo modo perturbatio facultatum mentalium. — Augetur morph. ad granum unum et semis, ceteris immutatis. Hora ante meridiem 11. tam profunde et tranquille dormire coepit, ut epithematum frigidorum applicatione non expergefieret. Hora prima post meridiem somno excitatus non tremit, concinne de suo morbo disserrit, deliriis placidis hinc inde interruptus. Conqueritur de capitis vertigine, siti insatiabili; quae laudabilis rerum inversio vesperi quoque observatur. — D. 9. Apr. Nox praecedens partim somniando partim dormiendo transacta. Aeger saepius evigilans potum efflagitavit; alvum et urinas misit et interrogantibus sui probe conscius responsa dedit penitus congrua. Nunc caput adhuc temulentum grave; susurrus aurium; oculi vivaces; pupilla coarctata; lingua muco tenaci obtecta; appetitus prostratus; sitis insatiabilis, in aquam frigidam directa; in pectore et abdomine nil abnorme; facultates mentis immunes et tremores artuum evanidi; cutis amoene calens transpirans; urinae largae; profunde tinctae. — Omisso morphio tart. emetic. ad grana duo restringitur et epithemata glacialia continuantur. — Dies integer somno conceditur; alvus quinquies mota. — Die 10. April. Perrexit aeger integram noctem dormire; ob alvum movendam sexies expergefactus. — Hodie caput fere ex integro liberum, etiam sub sessione minus vertiginosum; susurrus aurium multo imminutus; pupilla magis dilatata; vultus non adeo vivax; sitis et pulsus normalis. — Sepositis om-

nibus decoct. salep c. succo citri ordinatur. — Die 11. April. Omnia symptomata morbosa, et etiam diarrhoea recessere, restante tantum debilitate. — Die 18. April. Sanus dimittitur.

Cardiopalmus ex vitio organico, superveniente carditide.

D. S., puella 22 annorum, habitus scrophulosi, constitutionis debilis, temperamenti melancholici, ex patre per annorum seriem pertinaci organorum abdominalium obstructione laborante, tandem hydrocardia, carditidem insequente defuncto, ex matre vero sana genita. Duodecimo aetatis suae anno, prima vice cardiopalmum persensit, corporis animique motibus, potulentis spirituosis instantibusque catameniis intendendum. Ex quo tempore nonnisi bis insultu vehementiore plectebatur, cui tamen abigendo regimen diaeteticum semper par inveniebatur. Anno 18. sub diversis molestiis et cardiopalmo recrudescente prima vice menstruis salutabatur. Tertia Maji refrigerium patitur, mox febre corripitur, cardiopalmo vehemente, associantur enormis anxietas praecordialis, inquietudo, nisus in lipothymiam, agripnia valde molesta, horrendus suffocationis metus, dolores fugaces, trahentes, lancinantes in regione cordis et phantasmata terrefica. Medicus in auxilium vocatus digitalem cum calomele, notabili symptomatum levamine praescribit. Ast decima Maji aegra imprudenter validis animi pathematibus indulgens horrendam revocat scenam. Insti-

tatur venaesectio ad libram et semis; — emulsio cum sale amaro interne propinatur. Etiamsi curam adeo heroicam levamen sat laudabile insequeretur, tamen aegra vovum timens insultum, consilium capit clinicum adeundi. Caput temulentum; dolores prementes, obtusi in regione frontali; phantasia exaltata tristes producit cogitationes; pusillanimitas; oculi prominentes, splendentes, photophobi, mox diplopia, mox caligine laborantes; facies aliquantulum turgescit, rubescit, quidpiam calet; sitis intensa; siccitas cavi oris et labiorum; lingua humida, medio siccescens; carotides pulsantes; respiratio frequentior, accelerata, brevis, sublimis, anxia, laboriosa; suspiria crebra cum euphoria contingentia; sensus anxietatis, oppressionis, constrictionis suffocatoriae, fervoris interni, quandoque cum punctorio alternans dolore; cordis palpitatio fortis, a procul visibilis, accelerata, inordinata, tremula, dicrota, subinde intermittens cum strepitu aegrotanti sentiendo et vicine adstanti medico auditu percipiendo, cum sensatione adscendentis in cavo pectoris, et illi infusi liquidi ebullientis; tussis rara, sicca, inspirio profundo non, motu vero corporis excitanda, situs dorsalis tantum concessus. In abdomine nil abnorme; sub pressione vero hypochondrii sinistri versus diaphragma dolores in latere pectoris sinistro et tussis cientur. Alviductiones hodie duae. Cutis amoene calet, sed in inferioribus corporis partibus minus, quam in capite, thorace et brachiis. Pulsus normali frequentior, fortis, parvus, durus, con-

tractus. — V. S. ad unc. decem. — Dcti. alth. unc. sex, arcan. duplic. et syrup. simpl. āā unc. semis. — Emulsio. com. libr. duae nitr. p. drach. et sacch. alb. dr. tres. p. potu. Sanguis pleno rivo prosiliens post decem minuta in placentam et serum secessit; crusta inflammatoria defecit; placenta et serum aequali aderant proportione; prior erat firma, compacta, difficulter laceranda. Sanguinis detractione facta, symptomata pectoris molestissima et periculosissima placabantur et aegra levi somno detenta noctem transmisit. — D. 12. Maj. Sub accessu matutino facies magis hilaris, composita; respiratio frequens, citata, non anxia et suspiriosa; sensus oppressionis in regione cordis minor, quam heri; sensatio fluidi in cavo pectoris ebullientis mitigata; palpitatio cordis stetoscopo observata minus fortis, citata, frequens et magis ordinata, quam heri; urinae parcae, turbidae; cutis transpirans; pulsus minus fortis et durus et magis liber. Therapia excepta V. S. eadem. Aegra hora prima pomeridiana sine venia sellam perforatam petens, cardiopalmo, summa anxietate praecordiali, inquietudine, dyspnoea et suspiriis mulctabatur, sudoribus universalibus post duas tandem horas sopiendis. Vesperi symptomata pectoralia majori ac mane gradu aderant. V. S. ad unc. sex. Levamine inde subsequuto luculento aegram somnus amplectebatur tranquillus per integram fere noctem. — D. 13. Maj. Perstat emendatio ex therapia obtenta. Dcti. alth. unc. sex, aq. laurocer. dr. semis et syrup. simpl. unc. — Emuls. comm. sine nitro p. potu. Ad vesperas facies

summe hilaris; respiratio tantum frequentia a normali aberrans; sensationes in praecordiis nullae; cardiopalmus quidem frequens, sed relate ad hesternum minus fortis; alvus semel mota; urinae largae nubeculam levem tenentes; cutis largo cooperta sudore euphoriam inducente; pulsus nonnisi frequentia excedens. Praeter therapiam matutinam emplastrum vesicans ad brachium sinistrum. — D. 14. Maj. Nil aliud morbosi accusatur nisi cardiopalmus ab aegra nonnisi attente percipiendus. Therapia eadem. — D. 16. Maj. Abacta maxima ex parte irritatione cordis tantum summus ejusdem erethismus perstat, ita ut levissima ansa accedente cardiopalmus eliciatur. — Inf. ex fol. digit. p. gr. sex, ad colatur. unc. sex, aq. lauroc. drachm. semis, mucilag. gg arab. syrup. simpl. aa unc. semis. — P. potu emuls. comm. Deligatio cutis epidermide in brachio sinistro spoliatae cum unguento ex praecipitato rubro. — D. 17. Maj. Aegra jam reconvalescit. Therapia eadem excepto potu, cui infus. verbasc. substituitur. — D. 18. — 21. Maj. In horto caute obambulat. — D. 22. Maj. Respirium frequens anxium, profundum non concessum, tussim excitans; sensus oppressionis sub sterno, ac si pondus pectori incumberet; situs dorsalis solummodo concessus, cardiopalmus frequens et fortior, sic aeque pulsus frequentior et normali fortior. Therapia immutata manet. Vesperi evanidae deprehendebantur respirationis difficultates, pulsus frequentia et cardiopalmus. — D. 26. Maj. Morbus a reconvalescentiae tramite detrusus nunc iterum eumdem prosequitur.

Deligatio sufficientem sustinet suppurationem. Continuatur therapia. — D. 27. Maj. Levis ex digitali narcosis, ex dysphoria summa, languore musculari, cephalaea obtusa, vertigine, somnolentia, tristitia, scintillatione, susurru aurium, et pulsuum infra normam frequentia cognoscenda. Omittitur mixt. et qua antidotum acid. tartar. gr. sex, aq. comm. unc. sex, sacch. albi dr. duae exhibentur. — Vesperi symptomatum recensitorum vix vestigium. — D. 28. Maj. Levis coryza et catarrhus viarum respirationis, hinc omissa mixtura acida, nonnisi dct. alth. cum sacch. conceditur. Nox phantasmatibus turbata. — D. 29. Maj. Mane caput temulentum, vertiginosum, facies rubens, turgens, calens; sitis adaucta; respiratio frequentior, citata, situs nec dorsalis nec lateralis, minime vero in latere dextro perfertur, erecto trunco dyspnoea mitigatur. Cardiopalmus frequens, fortis, in regione hypogastrica sensus caloris, dolores sacrales ingentes ad femora sese propagantes, temperatura inaequaliter distributa; pulsus frequens, fortis, durus. Dcti. alth. unc. sex, nitri p. scrup., syrup. mannat. unc. semis. Per diem status pejor evadit, omniaque symptomata vesperi majorem nanciscuntur intensitatem. Nox summa dyspnoea, metu suffocationis, anxietate enormi transigitur. — D. 30. Maj. Oculi peculiariter splendentes, facies tota quidpiam tumet vixque rubescit, sitis adaucta, tussis frequens, sicca, anxietas summa, respirationis difficultates enormes, palpitationes cordis aliquam ostendunt typum, et quidem prima, tertia, quinta, sicuti

secunda, quarta, sexta sibi sunt gradu et qualitate valde similes, priores provocant strepitum peculiarem ac si unda ad parietes pectoris pelleretur, posteriores aperte declarant propriam palpitationem cordis, ita ut cardiopalmus quoad typum aberrans dicrotus nominandus esset. Dolores sacrales, sensationes in hypogastrico evanuere; temperatura cutis inaequabilis, cutis ipsa si premitur, foveolam diutius perstantem relinquit; urinae parcae, limpidae; pulsus frequens, fortis, durus et contractus. Pulveres quatuor ex fol. dig. purp. gr. duobus, cremor. tart. et sacch. albi aa scrup. — Emulsio nitrat. p. potu. Nullum ex pulveribus obtinetur lenimen, imo molestiae ex hydrocardia et hydrothorace promanantes rapide crescunt et aegram totam per noctem excruciant. — D. 31. Maj. Summa dyspnoea, anxietas insignis; nisus in lipothymiam; metus suffocationis ad summum evectus; cardiopalmus valde frequens, tremulus; pulsus jam tardus jam intermittens, mollis, magnus; abdominis sensilitas; labia et ambitus eorum livent; tumet facies sic et brachium, ita ut premente digito amoto foveola remaneat; urinae parcae. V. S. ad unc. sex. Sanguis missus seri praeponderantiam ostendit et placentam laxam, tenuem, facile lacerandam. Lenimen venaesectionem insequutum nullius est durationis. Mixtura oleosa aegra propinata vomitu statim ejicitur. Ordinantur pulv. ex fol. digit. p. gr. quatuor, calomel. gr. duobus et sacch. alb. scrup. quat. — Emulsio nitrat. p. potu. Unguent. merc. et digit. aa drach. duae ad inunctionem. — Vesi-

cans longum inter mammas, alterum inter scapulas. — Sinapismi ad femora et crura. Ante meridiem aegra in lecto sedebat trunco erecto et capite suffulcito perstantibus omnibus signis horrendis. Circa meridiem aliquot lenimen ex medicamentis videtur induci. Pulveribus jam consumtis novi praescribuntur ex digit. gr. sex et calomel. gr. quatuor et loco emuls. limonada tartrica et novum vesicans inter mammas. — Ast incassum. Etenim circa horam octavam vespertinam increscunt respirationis difficultates, cardiopalmus, inquietudo, oculi languidi clauduntur; facies frigoris marmorei intumescit et pallidior fit, pulsus nec in brachio sinistro nec dextro nec in arteria temporali tangitur, et aegra moribunda tandem circa horam decimam praegresso universi corporis motu convulsivo spiritum emittit.

Necroscopia.

Calvaria ponderosa; suturarum vix ulla vestigia. Meninges pallidiores; cerebrum egregie evolutum, sanguine pauperum; ventriculi tricornes justo majorem seri grisei copiam tenent; in fundo cranii drachmae circiter duae ejusdem seri grisei. Pulmones pleurae costali ope pseudomembranarum firmissime adcreti, ita ut sine laesione parenchymatis pulmonum separari nequeant. Parenchyma normale. In cavis pleurae librae circiter quinque fluidi aquosi, ex luteo-rubescentis contentae visuntur. Pericardium libram seri flavi tenet. Cor magnum, sinistra ejus dimidia pars ubique praesertim ad atrium laete rubens et numerosis carunculis obsessa, nec non axsudatis lymphaticis obducta, vasa quoque ejusdem lateris magis expansa sanguine scatent. Ostium arteriosum ventriculi sinistri loco diametri sanitati convenientis linearum sex, diametrum linearum quatuor et dimi-

diae declarat; eandem coarctationem celebrat aorta in regione vertebrae tertiae thoracicae, quae diametrum linearum quinque et unius quartae exhibet. Cor dextrum flaccidum et extenuatum. Hepar simili ratione ac pulmones cum peritoneo, cum diaphragmate firmissime concretum. Ipsum hepar grande, ponderosum, ejus textura friabilis. Cystis fellea et bilis ad normam. Lien pallidior, friabilis et exsanguis; pancreas contra, sanguine dives. Renes aeque sanguine ditiores, secus quoad consistentiam, formam et volumen normales. Tractus intestinalis nil offert morbosi. Uterus ad normam. Ovarium sinistrum aeque, dextrum vero tumet, volumine valde adauctum, molle; textura ejus degenerata innumera hydatidum copia ad magnitudinem pisi obsessum. Vesica urinaria contracta, vacua.

Ischias nervosa postica.

L. nobilis de Sch., centurio, 26 annorum, temperamenti vivacis, constitutionis fortis, decimo septimo aetatis anno rheumatismum sibi acquisivit, qui nonnisi magna ad illam affectionem opportunitate relicta depellebatur. Vigesimo anno haemorrhoidibus sic dictis mucosis vexabatur, intra breve temporis spatium sponte evanescentibus. Vigesimo secundo post nimium in saltatione excessum dolores persensit trahentes, spasmodicos a malleolo pedis dextri externo ad coxam usque sese propagantes. Eodem anno vago concubitui indulgens, blennorrhoeam, ulcera, condylomata, phimosim et orchitidem reportavit, quorum penultima ope chirurgica ablata, ultima quiete et suspensorii usu sanata est. Multis diversisque remediis incassum adhibitis, post biennium tandem curam antiphlogisticam Dzondionam subiit, cujus ope,

quum sanitatem iterum non impetrasset, 25. anno, curae inunctoriae majori eo cum effectu semet subduxit, ut morbus integer cum omnibus sequelis sensim evolutis abigeretur. Quatuor hebdomades post, refrigerio per balnea frigida imprudenter capto, passio extremitatis dextrae supra monita tanta acie recruduit, ut ob nimios dolores praeprimis sacrales et truncum erigendi impotentiam, officiis suis peragendis impar redderetur. Sanitatem pristinam recuperaturus sub tempestate admodum infausta Viennam proficiscitur. Pillulae ex opio, decocta lignorum, vesicantia et hirudines frustra hic opponuntur; sic aeque thermae Badenses, quas aeger longius per tempus sedulo adhibuit, nullum exserunt effectum. Multo laudabiliori virtute dtum. Zittmanni coronabatur, quod hanc faustam emendationem induxit, ut aeger perstantibus doloribus cruralibus saltem erectus incedere valuerit. In hoc statu aeger tractationi clinicae se credit. — D. 11. Octob. conqueritur de doloribus mox prementibus, obtusis et profundis, mox de pungentibus et peculiaribus verbis vix describendis. Exordiuntur hi dolores a nate dextra et juxta posticam femoris faciem, decursum nervi ischiadici sequentes ad capitulum fibulae, sub pressione hic maxime intendendi, et abhinc juxta tibiam et fibulam ad malleolos externos usque extenduntur, unde supra pedis dorsum diradiantur. Sunt dolores periodici, per diem sub quiete silentes, sub incessu et tempore nocturno evigilantes. Aeger sub ingressu omne corporis pondus

pedi sinistro inniti studet, extremitatem infirmam post se trahens, et truncum quidpiam protinus inclinans. Pelvis obliquam praebet directionem, altior nempe observatur in latere dextro; sic etiam plica inguinalis, si comparas cum sinistra, altior; nates eamdem obliquam ostendunt formam; dextra nempe et illius plica altior; ceterum omne membrum dextrum quoad formam, nutritionem, volumen et longitudinem nequaquam a norma abludens. Quae symptomata diagnosim supra monitam omni eripiunt dubio, et quum malum ex diuturno tempore perstat, de transsudatione materiae serosae, vel lymphaticae intra neurilemma facta suspicio optimo jure moveri potest. — Pulv. alter. Plumeri gr. sex, sacchar. alb. drachm. in sex pulveres divid., quorum singulus mane et vespere summendus. — Unguent. merc. ciner., ung. digital. aa drachma, ammonii pur. scrup. pro infricatione secundum decursum nervi ischiadici; — balneum universale cum cali caustici semiuncia. — D. 12. — 20. Octob. Dolor ischiadicus jam vehementior, jam mitior, hinc inde plane siluit. In genere morbus saltem aegro asseverante faciem ostendit mitiorem. — Augentur pulveres Plumer. de die ad grana tria, et cali caust. in balneo ad unc. unam et semis. — D. 21. — 28. Octob. Rebus reliqui status morbosi alioquin prosperis dolores accessere rheumatici in humeris. Sepositis balneis reliqua continuabantur; ob alvum ex aliquot diebus haerentem dcti. gram. unc. sex, sal. Glauberi unc. semis, syrup. simpl. unc. — D. 29. Octob. —

10. Novemb. Rheumatismo primis octo diebus ex humeris profligato balnea in usum revocabantur. Dolor ex malleolis plane aufugit, magis concentratus fuit in fossa poplitea et trochanterica; sic etiam in regione sacrali, ita, ut crurum usus plane liber observaretur; sed incessus propter dolorem sacralem adhuc quidpiam unilateralis et cum trunco incurvato peragebatur. Exhibentur balnea universalia cum cali caust. sesquiuncia. — Emplastrum cantharidum sex pollices longum nonumque latum posticae femoris superficiei a trochantere majore juxta nervi decursum applicandum, et abscissa bulla plagae vulneratae continua cum unguento mezerino deligatio ordinabatur, ut perpetua sustineretur secretio vicaria. Pulv. Plumeri seponuntur. — D. 11. — 14. Nov. Febricula inflammatoria deligatione inducta, balneorum usus differebatur. — D. 15. — 20. Nov. Solvitur febris per sudores et urinas. Ob profusam secretionem et dolores eximios, deligatio plagae suppurantis de nocte cum unguento simplici curatur. Abhinc ad deligationem anaticae partes unguent. mezer. et simplic. sumuntur. Pulveres Plumeri et balnea resumuntur; continuatur infricatio. — Die 21. — 28. Nov. Dolores per diem sub cauta in cubili deambulatione et sessione nulli; nonnisi in fossa poplitea et trochanterica hinc inde sub erigendi trunci conamine levis persentitur algia. — Vespere sub lecti integumentis semper dolores increvere, sensim mitigandi, et per reliquam noctis partem penitus obfuscandi. — D. 28. Novemb.

— 20. Decemb. Plaga suppurans per quatuor hebdomades sustentata, nunc plane consolidata. Aeger juxta hanc plagam nullos persentit dolores, imo ex fossa trachanterica profligatos contendit; dolor sacralis eximio modo obfuscatur, ut tantummodo sensatio quaedam peculiari modo inamoena remanserit et aeger erecto trunco incedere valuerit. Reliqua therapia eadem. — D. 21. Decemb. Prosperus secretionis in femore vicariae effectus eamdem secundum nervi tibialis decursum instituere suasit, pulveribus, balneis et inunctionibus interim dilatis. — D. 1. — 15. Januar. Resumitur therapia pristina, inunctionibus exceptis. Morbus ad emendationem supra dictam perductus, modo pejoratus, modo emelioratus therapiae hucusque institutae pertinaciter renititur, quapropter efficaciorem medendi rationem mali pertinacitati adaequatam tentare consultum fuit.—Mercur. sublim. corros. gr., aquae destillat. unc. panis et sacchar. alb. suffic. quant. ut fiat massa pillularis, ex qua pillul. 30 formabantur. — Dtum ex rad. sassaparil., lign. sassafras āā unc. una, et rad. lapath. acut. unc. semis, tepide de die hauriendum.—Dti. rad. gram. unc sex, sal. Glaub. unc. semis, syrup. mannat. unc. — Die 16. Februar. Sub congruo regimine diaetetico et praemisso purgante cura incipitur: Prima die aeger duas pillulas consumsit, diebus insequentibus cum duabus continuo ascendebatur. Post sex dies appetitus infringebatur, et urinarum copiosarum turbidarum et profunde tinctarum secretio adaucta observabatur. —

D. 20. — 24. Februar. Noctes inquietae; consueta inquietudo et peculiaris totius corporis alteratio; alvus de die bis mota; urinae limpidae, largae. Dolores ischiadici exacerbati, praeprimis mane et sub incessu ad alvum deponendam. — D. 25. Februar. Evacuationes criticae apertae; sudores de nocte largi; frequentes alvi fluidae depositiones; urinae largae, cerevisiae fermentantis adinstar turbidae, cum superveniente sedimento largo, ponderoso, quasi crystallino, cui materia furfuracea, facile agitanda innatat; sapor subdulcis; gingiva adhuc immutata; dolor ischiadicus pungens in poplitea sat vehemens. — D. 29. Februar. Continuant crises, ast cum multiplicata pillularum dosi non amplius augendae, aegro ceterum bene prospiciente; pillulae hodie triginta et octo consumuntur. Corporis delassatio valida; dolores ischiadici propter universalem delassationem tantopere obfuscati, ut eos plane evanuisse aeger crediderit. — D. 3. Mart. Pillularum dosis ad quinquaginta augetur, quin aeger ullas inde molestias percipiat. Pergunt evacuationes per urinam et sudores criticos, sed minori in gradu, utpote quantitati mercurii ingesti non correspondentes. Abhinc cum pillulis eodem ordine descenditur. — D. 19. Mart. Ultimis diebus excretiones criticae penitus siluere. Sub hac cura nunc terminata aeger nonnisi levem et fugacem pectoris oppressionem persensit. Finita cura praeter balneum unum simplex nil amplius ex medicaminum cohorte seligebatur, et observationis causa aeger adhuc per

41 dies in nosocomio retinetur. Bene contentus de prospero ultimae curae successu, consueto more extra nosocomium amicorum societates frequentavit; incessus fuit firmus ac securus; aeger nonnisi post protractum corporis motum dolorem exiguum hinc inde persensit. — D. 15. Maj. sanitatis recuperatae confirmandae gratia clinico valedixit, et rus petiit.

Dysenteria catarrhosa inflammatoria.

L. G., miles gregarius, 26 annorum, constitutionis fortis, temperamenti cholerici, cephalaeam periodice recurrentem si excipis, vitam hucusque vixit omnimodo sanam. D. 30. Octobris officiis consuetis occupatus, subito frigus percipit febrile, artus dedolatos, mox cephalaeam frontalem, coryzam, sitim et sensationem in abdomine inamoenam, verbis vix exprimendam, quam alviductiones fluidae omni quadrante horae bis fere revertentes sub torminibus et borborygmis frequentibus sequuntur. Diarhoeae sistendae gratia vini rubri calefacti libras duas haurit, lectumque petit, nihilominus de nocte frigido sudore madidus, alvum saepius excernere cogitur. Malo ingravescente praeprimis doloribus diris in abdomine vexatus, et alviductionibus jamjam cruentis perterrefactus, subsequente die medicum in auxilium vocat. Potus theatus et pulveres albicantes, dulces plures cient emeses, sine ullo levamine; imo tormina fiunt atrociora, increbescunt excretiones alvi cruentae, tenesmo nunc primum comitatae. — D. 1. Nov. Aegri-

tudo sub iisdem phaenomenis comitibus eum nanciscitur intensitatis gradum, ut intra 24. hor. alvus nonagesies moveatur notabili virium lapsu comitante. Inquietudine, torminibus et tenesmo rapide increscentibus, miser tandem — die 2. Nov. vespere in clinicum suscipitur: Caput sub sessione vertiginosum; facies pallida, collapsa; os siccum; appetitus prostratus; sapor fatuus; lingua in medico et ad margines madida; respiratio sat libera; abdomen modice tensum, circa umbilicum obtuse dolorificum; dolores ipsi sub attactu et alvi depositione exacerbandi. Excretiones alvinae intra 24 hor. nonagesies sequutae, mucoso-serosae, hinc inde sanguine striatae, vehementibus torminibus, ardore ad anum et tenesmo comitatae; temperatura fere normalis; pulsus fortis, normali frequentior; ceterum magna corporis debilitas ac dedolatio. — Ordinatur dtum. ex rad. salep scrup. duab. ad colat. libr. duar. cum syrupo diacod. uncia p. potu. — Dti. rad. alth. unc. sex, syrup. diacod. unc. semis p. mixtura. — Cataplasmata emollientia ad abdomen. — D. 3. Nov. Indole morbi phlogistica apertius praeter hesterna evigilante, V. S. ad unc. octo ordinatur, qua instituta, dolorum intrat lenimen, et minor alviductionum frequentia, usque ad vesperas. — Sanguis missus levem ostendit crustam inflammatoriam. — D. 4. Nov. Nox insomnis. — Signis intestinorum inflammatorum mitescentibus, tormina et tenesmus evadunt minus molestantia et frequentia; sic aeque alviductiones adhuc dysenteri-

cae; temperatura cutis mollis, amoene calida; pulsus modice frequentior, ceterum normalis; urinae parcae, turbidae. Excepta venaesectione remedia hesterna. — Enema ex amylo et vitell. ov. — Balneum universale tepidum. Intrat post balneum levis sudor; alviductiones rariores, per noctem somnus levis. — D. 5. Nov. Caput liberum; facies collapsa; appetitus deletus; sitis aucta; sapor fatuus; abdomen minus expansum, sub pressione rudiori in colo ascendente et intestinis tenuibus dolens; tenesmus levis; temperaturae, pulsuum et urinarum conditio hesterna. Eadem therapia. — De nocte somnus brevis et inquietus; frequens alviductionum dysentericarum iteratio. — D. 6. Nov. Oculorum languor animadvertitur eximius; lingua mucosa, subsicca; sitis urgens; major abdominis expansio et dolorum ferocium ad intestinum colon quoque descendens propagatio; pulsus frequens, suppressus; urinae parcae, turbidae. Resumitur therapia 4. Nov. instituta. V. S. ad unc. sex, et pulv. calomel., opii pur. $\bar{aa}$ gr. tria, pulv. gumm. arab., sacchar. alb. $\bar{aa}$ drachm. misc. divid. in partes aequales duodecim. Omni trihorio pulvis sumendus. Post phlebotomiam aegrum somnus amplectitur placidus et sudor; alviductionum numerus usque ad vesperas vix octo excedit; febris dolorumque remissio; ast nocte, etiamsi somno maxima ex parte transacta, alvus undecies mota. — D. 7. — 8. Nov. in eo observatur morbi mutatio, quod sub physiognomia hilari et abdominis expansione decrescente, dolores nullibi

sentiantur, sub attactu rudiori nonnisi ad umbilicum provocandi. Sedum numerus intra duo nychtemera 20. — Therapia hesterna, excepta venaesectione continuata. — D. 9. Nov. Enteralgia fere nulla, febris vestigia modica, alvi fluxus saepius redux, omnis tenesmi et torminum expers continuari pergit. Praescribitur infus. ex rad. ipecac. gr. quindecim parat. c. syrupo diacod. semiuncia. — Dtum. salep pro potu. Balneum universale tepidum. — Linteamina calefacta abdomini imponenda. De die alvi fluxus quinquies revertitur. — Ad vesperas respiratio brevis, citata; in regione lumbali dolores adcusantur pungentes, sub respirio profundo ciendi; nox agrypnica. Alvus intra nychthemeron deponebatur novies. — D. 10. Nov. Mane insolita offenduntur symptomata: Capitis vertigo; facies pallida, oblongata, collapsa, peculialiter mutata; physiognomia tristis; oculi languidi, semiclausi; os siccum; sitis clamosa; lingua siccescens, spurca; respiratio citata, laboriosa; venter omni in ambitu tumidus, durus, meteoristicus; temperatura non aequabiliter distributa, tactui ingrata; urinae parcissimae, ex flavo-rubescentes; pulsus frequens, parvus, debilis; summa virium debilitas. Accepit in sorte nimis ancipiti versans dtum. rad. salep. cum vin. rub. semilibra et sacch. alb. semiunc. pulveres ex moscho gr. sex, camphorae gr. tribus et opii gr. uno et semis; — balneum aromaticum; — unguentum abdomini infricandum ex camphora, ammonio puro et unguent. aromatico confectum; — enema amyli

concentratum cum vitellis ovorum duobus et tinctur. opii scrupulo. — De die ruit alvus jam involuntarie. — Vesperi omnium symptomatum, mane obviorum, exacerbatio, continuat indomitum alvi profluvium; respiratio jam stertorosa. — D. 17. Nov. Exacerbatio hesterna vespertina duravit usque ad mesonoctium, reliqua nox inquieta. — Mane penes heri animadversa characteris nervoso-putridi phaenomena intensiora, labia sicca, fissa; cavum oris dentesque muco fusco, denso defoedati; respiratio retardata, anxia et stertorosa; extremitates frigidae; pectus et caput normaliter calentia; pulsus quoad frequentiam vix abludens, summe debilis, parvus; faeces fluidae, fuscae, hinc inde sanguinolentae. Viribus fere exhaustis et apertissimis colliquationis signis therapia opponitur intensior; augetur moschus et camphora ad grana duodecim, opium ad gr. tria; additur elaeosacchar. macis. — Dct. infusum ex cort. peruvian. unc. semis et rad. angelic. dr. tribus, cum liquore mineral. Hoffmanni drachma, syrup. cinnamom. unc. semis. Vinum rubrum in potu antea monito augetur ad libram, enematibusque camph. ras. dr. semis adjicitur. Nulla ex medicaminibus sequitur reactio, imo morbus irrefrenandus celeria capit incrementa, facies fit hippocratica, respiratio summe laboriosa et retardata; extremitates sudore frigido viscidoque madent; pulsus debilissimus, sensim filiformis, donec mors luctuosa aegrum fere exsuccum quarta hora pomeridiana e viventium numero eripuerit.

Sectio cadaveris.

Corpus emaciatum; cranium tenue et transparens; meninges ad normam; substantia cerebri sanguine dives, majoris consistentiae; in quavis camera laterali drachmae duae seri pellucidi. Apex supremus utriusque pulmonis pleurae quidpiam adnexus filamentis facile solventibus; pulmones ipsi, excepta aliqua oppletione sanguine seroso et spumante, ad normam; cor tenue et flaccidum; hepar magnum, ponderosum, debiti coloris et structurae; cystis fellea unciam continet bilis ex atro-viridis, spissae; lienis specimen anatomicum; omentum majus retractum et ad tenue filamentum reductum; omnia intestina tenuia aëre et fluido viridicante multum expansa, in genere colore lurido-griseo colorata, hinc inde maculis lividis insignia; membranae mucosae pars magis prominens, muco tenaci tecta, normaliter colorata, exceptis plagis, ubi externe maculae ex coeruleo-lividae conspicuae sunt; in inferiore parte ilei pars longitudinis circiter pedis, minus est expansa, omnes ejus membranae colorem ostendunt ex atro-lividum (gangraena); sub transitu ilei in intestinum coecum per incrassationem valvulae tanta luminis coarctatio, ut nonnisi calamus scriptorius permeare possit; intestinum coecum, colon adscendens, transversum et descendens, sic etiam intestinum rectum aequali ratione alienata; exhibent nempe omento desumto et pinguedine colorem ex griseo-nigrum et quidem per omnes partes constituentes; membranae ipsae volumine auctae, friabiles, facile dislacerantur; interna facies copiosa offert filamenta per exsudationem producta; faeces in ileo majori quantitate accumulatae, quam desideratur; ventriculus normaliter constructus 2 circiter libras fluidi ex flavo-viridis continet; pancreas et vesica urinaria ad normam.

III.

EFFLORESCENTIAE CUTANEAE.

Scarlatina, varioloides, et varicellae principatum tenebant.

Raro sub regulari earumdem decursu plus agere opus fuit, quam correspondente regimine diaetetico omnem decursus regularis turbam praecavere, vel remediis leniter antiphlogisticis, cutis functionem sollicitantibus, uti decoctis mucilaginosis cum syrupo vel roob sambuci, alvo autem clauso salibus mediis naturam operantem adjuvare.

In uno varioloidum casu stadio febrili ecchymoses laete rubras amimadvertere fas fuit, quae ab initio praecipue inferiorem abdominis partem et foveas axillares, serius omnem pectoris et tergi ambitum occupantes stadio febrili finito i. e. tertia morbi die colorem violaceum, ex flavo-viridescentem induerunt, et absque auxilio peculiari sponte evanuerunt.

In impetiginibus, nominatim in scabie, herpete, tinea capitis et crusta lactea remedia alterantia, vegetationem specifice penetrantia uti: sulphur, antimonium, hydrargyrum omne tulerunt punctum.

Scarlatina superveniente febri nervoso-putrida et hydrope anasarca.

B. B., Austriaca, 27 annorum, coqua, constitutionis arteriosae, temperamenti vivacis, parentibus sanis progenita, nec vaccinata, nec humanas perpessa variolas, septimo aetatis anno morbillis, vigesimo metritide ex mensibus suppressis inducta decubuit. D. 5. Decemb. posteaquam ex quatuordecim diebus coryza laborasset, doloribus percellitur ad nucham trahentibus, mox frigore, subsequente aestu et sudore, cephalaea, siti intensa, inquietudine summa, dysphagia et dysphoria. Subsequente die gravioribus adhuc angustiis oppressa clinicum adit. Caput occupatum; dolores in fronte pungentes ad aures protensi, in auribus dolores lancinantes, incerta periodo molestantes; facies admodum calens et turgens; genae intense rubent, sub tactu nullam maculam albam relinquentes; oculi lacrymis suffusi, conjunctivam pallide rubescentem exhibent, lucem fugiunt; nares siccae aëri perviae; labia sicca intense rubentia; appetitus deletus; sitis aucta in acidula directa; lingua in disco sicca, albicans, in margine humida, atque pura, versus radicem sub attactu dolorifica. In faucibus dolores accusantur urentes, sub deglutitione aut attactu pungentes. Omnes partes in faucibus, quousque cernuntur intense. rubent, vix tument; in tonsilla dextra tumor ad pisi magnitudinem, ex albo-flavicans, muco similis. Tussis rara.

Thorax bene conformatus, in toto ambitu doloris expers; respiratio quidpiam frequentior; respirium profundum sine dolore concessum. Abdomen pastosum, doloris expers, sub pressione in scrobiculo cordis et hypochondrio dextro anxietatem causans; alvus ex triduo silet; urinae nullae asservatae, quarum sub missione dolor urens persentitur, dedolatio magna cum ingrato aegritudinis sensu; cutis tota quanta arida, ardens, profundissime rubet, in facie sub pressione nullam, reliquis in partibus maculam albam diutius perstantem relinquit et vehementer prurit; in reliquis corporis partibus dolores trahentes migrantes, artuum stupor; pulsus valdopere frequens, quidpiam subpressus, subdurus, contractus. Aegra circa dominum scarlatina decumbentem versatam se fuisse refert. Dcti. rad. alth. unc. sex, inf. senn. c. mann., syrup. mannat. āā uncia p. mixt. — Dcti. alth. libra, nitr. dep. scrup., inf. liquirit. unc. pr. pot. — Dcti. malvae libra pro collutorio. — D. 7. Decemb. Aegra omne per corpus exaestuata et cephalaea dira vexata nec momentum somno concessit. Perstat flamma totius organismi fervidissima, nullam ex heri remissionem offerens. In tonsilla sinistra incendio capta cavitas conspicitur rotunda, pure repleta. Praeter heri ordinata sinapismi ad suras et cataplasmata emol. ad collum. Praegressa valida totius corporis deflagratione et anxietate enormi circa vesperas tandem exanthema prorumpit speratum, per omne corpus diffusum. Con-

stituitur maculis coccinee rubris non segregatis, sed penitus confluentibus, ita ut integumentum totius fere corporis purpureum sistat. Etiamsi exanthema prorupisset, tamen circulus sanguinis exagitatus non moderatur; continuat febris valida, tument, rubent, dolentque fauces et alvus fluida quinquies deponitur. Omittitur inf. senn. c. mann. — Dcti. alth. unc. octo, syrup. samb. unc. dimid. p. mixt.; collut., cataplasma et sinapism. continuantur. — D. 8. Decemb. Nox adeo inquiete et tantis deliriis peragebatur, ut aegra lectum deserere satageretur. Mane caput doloribus quidpiam immune, sub sessione vertiginosum; mentis facultates non obrutas apta responsa testantur; oculi languidi, conjunctivam e rubro-flavicantem offerentes; nares, labia et lingua sicca; sitis valida, aquosa efflagitans; fauces omnes quousque visuntur rubent et dolent, in tonsillis ambabus abundans suppuratio; facies minus rubet turgetque ac heri; cutis omnis sicca et amoene calida tangitur; in exanthemate nulla mutatio, pulsus frequens, magis evolutus, subdurus; alvus quinquies mota; vomituritio. — Adjicitur mixturae supra monitae tart. emet. granum. — Dcti. rad. salep lib. duae, nitr. puri scrup., syrup. diacod. unc. p. potu. Enema ex amylo et vitello ovi unius. — Vesperi febris validissima; in pectore et extremitatibus praeter exanthema scarlatinosum noduli conspiciuntur albicantes uti videtur lympha pellucida repleti, milii magnitudinem vix excedentes. Applicatur sinapismus. — D. 9. Dec. De nocte deliria terribilia, continua aufugiendi cona-

mina. Mane mentis facultates immunes; dolores capitis pro maxima parte evanidi; facies ex rubro-caerulescens, magis collapsa; vultus tristis, magnam passionem exprimens, cujus confinia flavescunt; ad nares desquamatio incipiens; oculi languentes erga lucem sensiles; conjunctiva ex albo-flavescens; nares siccae, permeabiles; labia sicca rubent; lingua sicca muco fusco abducta; sitis valida in aquosa directa; in tonsilla utraque vasta plaga suppurans, coloris luridi; dysphagia summa; respiratio frequentior; abdomen expansum indolorificum; cutis arida intense calet et rubet; milliaria disparuerunt; pulsus admodum frequens, nullam offerens resistentiam, parvus, debilis; alvus ter mota, conditionis fluidae; urinae profunde rubrae, turbidae, resolutum sanguinem aemulantes. Inf. rad. valerian. ex dr. duab. p. ad colat. unc. sex, camph. muc. $\overline{gg}$ arab. sub. gr. tria, syrup. cinnam. uncia. Dcti. salep libr. duae, acid. muriat. oxygenat. dr. duae, sacch. albi unc. p. potu. Collutor. idem et sinapismus ad femora. His vespere accedit profluvium ex naribus sanguinolentum.—D. 10.—11. Decemb. Increscit character febris nervoso-putridus; deliria crebra vivida, praesertim tempore pomeridiano et nocturno; facies magis collapsa, alienata; major oculorum languor; dilatatur tonsillarum exulceratio; abdominis meteorismus; pulsus minus frequens, ast debilis mollis; epistaxis ad unc. aliquot hinc inde irruit; initia desquamationis. Augetur valeriana ad drach. tres et camphora ad gran. sex, potus idem, sinapismi ad scapulas; lo-

tiones cum aqua saponata tepida. — D. 12. Decemb. Nox magis quieta, somnus reficiens, deliriis vix turbatus; caput dolorum expers; memoria aliquantulum obumbrata; oculi minus languidi; nares et labia sicca, in margine humida, transversim fissa; suppurationis in faucibus vestigia exigua; dysphagia minor, appetitus reviviscens poma exposcit; sitis modica in aquam directa; respiratio normali vix frequentior; abdomen expansum, parum resonans; sensus debilitatis minor; cutis rubedine recedente et turgore disperso pallescit et desquamatur; pulsus cum hesterno comparatus minus frequens, fortior; alvi stypsis. Therapia eadem excepto potu et sinapismis. Dtum. alth. c. inf. liquirit. p. potu. — Enema emolliens. — D. 14. Decemb. Indoles morbi nervoso-putrida desquamatione universali contingente in dies magis recedit. Therapia immutata. — D. 16. Decemb. Nox quieta reficiens; caput ex integro liberum; facies composita, magis laeta; genae rubent; lingua ubique depurata humescit; appetitus vividus; fauces sensiles quidpiam adhuc rubent; cicatrisatio in faucibus absoluta; tussicula rara; in abdomine nil abnorme; desquamatio in omni cute largissima; pulsus normalis; alvus mollis; urinae largae, mucum tenentes; sudores de nocte levantes. Inf. flor. sambuc. ex dr. duab. ad colat. unc. octo, camph. muc. gg arab. subact. gr. sex. p. mixt. Dtum. salep cum vino austriaco et sacch. p. potu. — D. 20. Decemb. Sub hac therapia diapnoico-stimulante desquamatio contingit largissima. Balneum universale. Desquamatione bene

procedente et viribus universim insurgentibus 21. Dec camph. ad gr. tria, 23. Dec. ad duo, 24. Dec. ad granum restringitur, et 25. Dec. penitus omittitur. — D. 26. — 28. Dec. Excepta desquamatione nil abnorme; ultima morbi vestigia naturae relinquuntur. Ast 29. Dec. circa palpebras et genas praesertim in latere dextro tumor conspicitur cum reliqua cute concolor, non dolens, sub tactu faveolam diutius perstantem formans. Circa talos intumescentia ejusdem conditionis. Desquamatio continuat. Ordinatur infus. flor. samb. ex dr. duab. ad colat. unc. sex, camph. mucilag. gg arab. subact. gr. tria, oxymel. scill. unc. dimid. — Dcti. flor. malv. sesquilibr., vini austriac. opt. libr. dimid. p. potu. Frictiones cutis panno laneo peragendae. — D. 31. Dec. videtur anasarca increscere. Therapia eadem. — D. 7. Jan. Omnis evanuit tumor, desquamatione continuante flores sambuc. ad drachm. et camphor. ad gr. duo restringuntur. — D. 13. Jan. Desquamatione fere peracta ptyalismus modicus accedit. Camph. ad granum imminuitur. — D. 15. Jan. Desquamatione evanida et continuante salivatione, aegra quum nosocomium avide deserere cuperet, nondum satis refocillata dimittitur.

IV.

CACHEXIAE.

Diversissima horum morborum in hac classe militantium forma et natura diversam quoque tractationem sibi vindicavit. Syphilis sub forma impetiginum sublatens in uno casu mercurio nigro Hahnemanni, in altero mercurio dulci exiguis in dosibus porrecto, et aliquot infricationibus unguenti mercurialis brevi sanabatur. In statu pituitoso, quo femina 60 annorum afflicta in clinicum suscipiebatur, remedia solventia vegetabilia et alcalina, polygala senega cum tinctura rhei et sub finem tractationis china et vinum optimo coronabantur effectu. In scorbuto remedia roborantia, amara, amaro - aromatica et spirituosa, acida vegetabilia et mineralia cum diaeta congruente et motu in aëre puro et libero exoptatas virtutes non denegavere. In chlorosi ratio medendi roborans a centaurio ad ferrum usque adscendens omnia vota explevere. Tres ascitis casus, qui de charactere plus minus activo testabantur, cremoris tartari, calomelanos, digitalis et oxymellis scillae usu feliciter consanabantur.

Febris gastrico-saburralis cum erysipelate faciei oedematoso, subsequente hydrope anasarca, cum incipiente scorbuto.

J. J., 33. annorum, constitutionis lymphaticae, phlegmaticus, septimo aetatis anno febri intermittente correptus fuit, quae, licet per integram hiemem durasset, remediis domesticis tandem debellata et feliciter abacta est. Ceterum ad morbum usque praesentem, si aliquas exigui momenti aegritudines excipis, prospera gavisus est valetudine. — D. 2. April. praegressis pluribus euphoriae laesae et digestionis turbatae signis cum peculiari aegritudinis sensu, corporis delassatione artuumque dedolatione, cephalaea et siti magna horripilationes intravere, totam diem perdurantes, sensim in frigus cum subsequo aestu transeuntes. — D. 3. April. Febri remittente aeger faciem quidquam intumescere et leviter prurire animadvertit; associantur sapor amarus, ructus frequentes, amarescentes, ova putrida redolentes; plenitudo, tensio, et sensibilitas epigastrii magna et de nocte vomituritiones frequentes, imo iterati vomitus materiae aquosae, viridis, flavescentis. — D. 4. April. In nosocomium deportatus emeticum sumit, quod vomitus cum notabili symptomatum lenimine aliquoties insequitur. — Vesperi in clinicum suscipitur. Caput occupatum, grave, sub corporis erectione vertiginosum; cephalaea magna, pressiva, a fronte per tempora ad occiput protensa, maxime tamen in regione

frontali sentienda; facies, maxime tamen palpebrae diffuse tument, splendent rubentque, qui rubor sub pressione vix evanescit; genarum color et ceterarum faciei partium magis luridus, terreus; in tota facie levis pruritus et ardoris sensus; oculi lacrymantes; albuginea coerulescens ad angulos quidquam rutilans; anguli ipsi squalidi, secreto quasi sebaceo repleti; nares siccae, aëri perviae; lingua levi tegmine albo obducta, humida; sapor nunc papposus magis quam amarescens; appetitus prostratus; sitis valida, potulenta frigida et acidula efflagitans, attamen his fallenda; abdomen sensile, quidpiam inflatum et quasi pastosum, in regione epigastrica sub contrectatione dolorificum, praesertim in scrobiculo cordis et hypochondrio sinistro; ast reliquae abdominis regiones a sensilitate non penitus immunes; cutis mollis, amoene calens non transpirat; alvus non sequuta; pulsus normali quidpiam frequentior, plenus, magnus et duriusculus. — Dti. rad. gramin. unc. sex, sal. Glaub. drach. duae, syrup. sambuc. unc. semis. Dtum. hord. cum oxymel. simpl. p. potu. Facies larva ex linteo parata tegitur. — D. 5. April. Nox ob cephalaeam vehementem aestum intensum et dolores in extremitatibus trahentes et lacerantes vagos vigiliis peracta. Nunc symptomata statum gastricum denotantia pro magna parte recessere, eorum loco symptomata rheumatica et pro parte catarrhalia, dolores lacerantes et trahentes utut minori in gradu in extremis inferioribus; oculi rutilantes et lacrymis

innatantes, erga lucem sensiles; respiratio paulisper citata; sub inspirio profundo non dolorifico levis excitatur tussicula; oedema faciei cum erysipelate extensione et intensitate increvit; notabilis febris remissio. Sal Glaub. in mixtura cum arcan. duplicat. dr. tribus et tart. emet. gran. commutare e re censebatur. — Vesperi modica febris exacerbatio; alviductiones fluidae binae. — D. 6. April. Cephalaea ex integro evanida; dolores trahentes et lacerantes mitigati; symptomata erysipelatis faciei et oedematis respectu extensionis et intensitatis recessere; lingua pura, humida; sapor normalis; appetitus reviviscit; sitis moderata; abdomen quidpiam inflatum et tensum; in utroque pede oedema, praesertim circa articulos animadvertendum; pulsus ferme sanorum; alvus fluida pluries mota; urinae parcae, fusco-flavae, turbidulae. Restringitur] arcan dupl. ad dr. duas, reliquis manentibus. — Vesperi levis exacerbatio prae ceteris cephalaea sese manifestans, quae quoque causam vigiliarum nocturnarum praebuit. — D. 7. April. Febris omnis cum rheumatismo abacta; increvit oedema pedum. Excluso in mixtura arcan. dupl. tart. emet. solus propinatur; reliqua ut heri. — Vesperi nulla exacerbatio; increscit tamen oedema faciei, signis erysipelatis, quippe rubore roseo et sensu ardente prurienteque plane evanidis; etiam oedema pedum extensione notabiliter auctum et per dorsum pedum et supra articulos extensum; abdomen sub contrectatione indolorificum magis inflatum et

quasi pastosum vel potius tumidum; alvus bis mota; urinae parcae, coloris e flavo-fusci, sedimentum agitabile formantes. — D. 8. April. Nox quieta; nunc delassatio corporis modica; facies ubique locorum tumida; color ejus lurido-pallidus; tumor oedematosus maxime genas occupat, palpebris quidpiam detumescentibus; oculi quidpiam languidi; appetitus moderatus; lingua levi tegmine mucoso obducta; sapor normalis; collum praesertim infra mentum quidpiam tumidum, abdomen volumine auctum, pastosum sat tumet; tumor hic situm trunci mutatum post aliquam moram lente sequitur, fluctuatio vero nulla digitis explorantibus detegenda; oedema pedum nunc tantum cepit incrementum, ut cutis intumescentia digito prementi cedens nonnisi lente restituatur; ceterum cutis in omni corporis cricumferentia pallida, mollis, normaliter calet, sed non transpirat; urinae ex fusco-flavae, turbidae; pulsus frequentia infra normam; reliquae hujus proprietates a sano vix abludentes. Infus. flor. sambuc. ex dr. duabus unc. sex, acet. ammon. dr., syrup. diacod. unc. p. mixtura. — Infus. verbasc. cum sacch. p. potu. — Solutio saponis sat concentrata pro lotionibus; tegitur aeger stragulis lecti duplis. — D. 8. — 15. April. Fffectus methodi diaphoreticae hucusque nullus, etiamsi d. 10. April. flor. sambuc. ad dr. tres et acetum ammon. ad dr. unam et semis augeretur; alviductiones nunc normales; ast transpiratio cutis nondum restituta et urinae quantitatis supra monitae adhuc parcae; intumescen-

tia circa pedis flexuram, dorsum et articulos oedematosa notabile sibi vindicavit augmentum. — Nocte a d. 14. — 15. April. haemorrhoidum fluentium vestigia adparuere, parca enim quantitas sanguinis cum alvo secessit. Dti. ononid. spinos. ex unc. sem. parat. unc. sex, cremor. tart. dr. duae, oxymel. squill. unc. pro mixtura. Infus. bacc. junip. ex unc. semis parat. sesquilibra, vini austr. lib. semis, sacch. alb. dr. tres p. potu. Continuantur lotiones. — D. 15.—18. April. Etiam his diebus hydrops anasarca quidquam increvit, non modo intumescentia pedum adaucta, sed in femoribus nunc notabilis intumescentia animadvertenda; abdomen ejusdem conditionis; alvus quotidie ter subsequitur conditionis pultaceae; urinae nunc quidquam largiores, coloris ut antea e fuscoflavi; pulsus quoad frequentiam multo infra normam, quoad reliquas proprietates a sano vix abludens; cutis mollis et flaccida in toto corpore normaliter calet. Pulv. squill. sicc. gr. tria, elaeosacch. foenic. dr. tres in part. tres divid. Baccae junip. unc. semis, oliban., styrac. $\overline{aa}$ dr. duae pro fumigatione panni lannei, cujus ope frictiones instituantur; mixtura et potus continuantur. — D. 16. April. Cessant haemorrhoides fluere. — D. 18. — 22. April. Robur anasarcae quotidie adolescit; augetur dosis scillae ad gr. quatuor; urinae adfuso alcohole illico colorem induerunt lacteum, et flocci inde sensim formati albicantes tertias duas partes exhibuerunt. — D. 22. April. Aeger valde delassatum et debilem se sentit; augescit hydrops ana-

sarca; extremitates flaccidae superiores insuper valde macilentae; gingivae spongiosae et flaccidae, jam sponte jam sub digito parum premente sanguinem plorant; halitus foetet; dentes squalore conspurcati; alvus quotidie bis terve, conditionis fluido-mollis movetur. Pulv. scill. sicc. gr. quatuor, pulv. lign. quass. alcoh. dr. semis, elaeosacch. foeniculi drachm. in dos. aequal. sex divid., quarum singula omni bihorio sumend.; in potu eodem vinum austriac. ad libram augetur; fumigatio continuatur. Pro diaeta caro assata et brassica acido-fermentata. Motus corporis diebus serenis et amoene calidis faventibus. — D. 22. — 27. April. Magna virium prostratio; increbescit scorbutus, hydrope anasarca non imminuto; alvus quotidie bis terve, conditionis pultaceae sequi solet; urinae copiosae a decem usque ad duodecim libras minguntur, coloris ex fusco-rubri, qualis in haematuria esse solet; cutis flaccida temperaturam quidpiam imminutam offert; luculentus extremitatum superiorum marcor. Periculum cum urinis institutum eamdem fere quantitatem albuminis praecipitati exhibuit. — Pulv. squill. sicc. gr. sex, lign. quass. alcoh. drach. semis, elaeosacch. cinnam., junip. āā drachm. in sex partes distrib. Vinum austriac. album p. libitu bibendum; fumigatio continuanda; caro assata et armoracea rasa c. aceto pro diaeta. — D. 27. April. — 5. Maj. Sub continuato tractamine vires quidquam eriguntur; appetitus redit; gingiva non sponte, sed sub digito premente sanguinem fundit; etiam symptomata hydropis anasar-

cae saltem in abdominis circumferentia et femoribus dilabuntur; alvus normalis; urinae largae, eumdem colorem prae se ferentes. — Pulveri lign. quass. pulvis. cort. rad. quass. substituitur; reliqua continuantur. — D. 5. ad 11. Maj. Vix notabilis emendatio; eadem therapia. Insuper dcti. rad. levistic. ex dr. tribus parat. unc. sex, liquor. terr. foliat. tartar. drach. duae, oxymel. simpl. unc. dimid. p. mixtura. Pulveres supra praescripti intra biduum sumendi. — D. 11. — 17. Maj. Valetudo aegri in dies laetior; ex gingiva conditionis fere normalis digitus premens sanguinem difficulter extricat; dentes emundati; halitus minus foetens; appetitus ardens; pedes multum detumuere, sic aeque in facie et infra mentum tumor aperte minor; alvus normalis; urinae largae, quidpiam turbidae et colorem nunc pallidiorem exhibentes, et multo minorem albuminis quantitatem exhibentes. Augetur levistic. ad unc. semis, et liquor terr. foliat. tartar. ad dr. tres, ceteris immutatis. — D. 17. — 22. Maj. Status morbosus in summo decremento versatur; evanescit debilitas musculorum et aeger pristinas sensim recuperat vires; omnia ingruentis scorbuti signa fugata; tumor vix in facie et quidquam adhuc in pedibus animadvertendus; verum in omnibus corporis partibus, quae hydrope anasarca captae tenebantur, rugae cutis conspiciuntur et quidem eo majores pluresve, quo magis pars antea fuit oedematosa; urinae adfuso alcohole opalisationis quasi phaenomena exhibent et praeterlapsis demum aliquot horis grumuli albi fundum

vasis vitrei petebant. Infus. ex herbae absinth. c. drachm. par. unc. sex, spirit. nitr. dulc. dr. semis, elaeosacch. junip. drachm. — D. 28. Maj. His diebus hydropis anasarcae symptomata adeo evanuere, ut praeter rugulas in partibus, antea oedemate tumidis conspicuas vix ulla restent vestigia; redeunt vires pristinae; cutis omnis tonum normalem recuperat; resarcitur in extremitatibns superioribus massa organica pristinusque robur ita, ut aeger dimitti potuerit.

Scorbutus cum physconia hepatis ac lienis et catarrho pulmonum, superveniente febre symptomatica salutifera.

I. K., 25. annum nunc egressus, miles gregarius, constitutionis laxae, temperamenti melancholici, infans cephalalgia frequente, vicenarius febri intermittente quartana laboravit, quae physconiam hepatis lienisque reliquit. — D. 28. Februarii a. c. in nosocomium militare cum febre catarrhali et doloribus capitis diris susceptus, intra paucos dies sanitati restituitur; ast ex errore diaetetico recrudescit cephalaea, adsociatur diarrhoea. Sub tractamine antiphlogistico per quatuordecim dies continuato malum recens consopitur; novae exsurgunt digestionis turbae, anomaliae in se - et excretionibus, sensus oppletionis in abdomine, debilitas praeprimis muscularis, dysphoria magna. — D. 6. April. in clinicum suscipitur: Magna debilitas et lassitudo; facies pallida, tumidula, tristis;

sapor ingratus; sitis vehemens, praeprimis in acidula; avidum desiderium vegetabilium recentium; gingivae laxae, spongiosae, tumidae, facile sanguinem plorantes cum halitu foetente; tussis rara cum dolore sub sterno et sputis mucosis. In hypochondrio utroque et regione inguinali intumescentia notabilis dolorifica; lien durus, quadruplo volumine auctus; sinister hepatis lobus aeque durus, normali major; urinae ex fusco-rubrae, turbidae; scrotum lividum, margine virescente cinctum; cutis terrea, cachectica, sicca; pulsus modice frequens, secus normalis; in extremitatibus inferioribus sensus ponderis, torporis, genuum rigiditas; nonnunquam in femoribus et cruribus dolores trahentes, omnem motum impedientes; ibidem maculae numerosissimae scorbuticae, diversissimae magnitudinis. Anterior femorum crurumque pars tumida, laxa, posterior dura. Infus. ex herb. centaur. minor., sem., foenicul. $\bar{\bar{aa}}$ dr. duabus, infus. rhei chinens. c. alcal. unc. semis. — Dtum. malth. c. acido sulphur. dilut. et syrup. rub. idaei p. potu; caro vitulina assat. c. armoracea rasa et brassica fermentata p. victu; acet. vin. p. lotionibus. — D. 7. — 8. April. Increscit morbus, — ad vesperas febricula, quae — d. 9. April. praeprimis invalescit. — D. 10. April. Gingivae exulcerationi jam proximae; pulsus normali frequentior ac debilior; urinae ex fusco-rubrae; in extremitatibus sensus ponderis, genuum rigiditas et musculorum durities increscit. — Vesperi consueta febris exacerbatio, exsuperante aestu ingrato. — Die

11. April. Eximia totius corporis lassitudo ac dedolatio; facies terrestris, tristis; oculi languidi; flagrans acidulorum cupido; gingivae ulcerosae, sponte sanguinem fundentes nigricantem; tussis nimis frequens, cum dolore punctorio sub sterno et sputis formatis; intumescentia hypochondriorum et regionum inguinalium aperte imminuitur, sub pressione non amplius dolorifica; sensus plenitudinis in abdomine disparet; hepar et lien volumine minores, minus duri; urinae largae, coloris laetioris; scrotum minus lividum; pulsuum conditio eadem; alviductiones molles; dolores in extremitatibus adhuc trahentes; maculae lividae minutae et rariores; de nocte sudores largi. — D. 12. April. Omnia symptomata subjectiva et objectiva formidanda perstant, imo gingivae magis exulceratae, halitus oris ingratius foetens; extremitas dextra circa malleolos tumet et livescit; cutis sudoribus male olentibus cooperta. Herbae centaurii minoris substituitur trifolium fibrinum; reliqua eadem. — D. 13. — 14. April. Resolutio scorbutica nova capit incrementa. Facies circa oculos et tempora virescit; articulationes pedum tanto tenentur rigore, ut omnis inhibeatur motus; physconia, catarrhus, febrisque decrescunt. Augetur herb. trifol. fibr. sem. foenicul. dosis ad unc. dimidiam. — Sub crepusculo magna ex medicamentis oboritur systematis sanguiferi concitatio, supervenientibus sudoribus largis, multum levamen ferentibus. — Nox reficiens. — Die 16. April. Facies minus pallida et tumida, exhilarata;

oculorum splendor fere normalis; gingivae minus rubrae, solidiores; tussis rara; tumor in hypochondriis fere nullus; sensibilitas ibidem exigua; alvus regularis; urinae laete rubrae; in scroto maculae minus livescunt; cutis minus lurida, transpirans; pulsus fortitudo normalis, frequentia quidpiam excedens; ponderis et torporis in extremitatibus decrementum, genua mobiliora, ast articulationum pedum magna adhuc rigiditas, maculae livescentes et virescentes quoque pallescunt, nonnullae ex integro evanidae, pleraeque imminutae; musculi mollescunt. Tantis ex medicaminibus emolumentis obtentis, nulla in therapia mutatio admittitur. — D. 18. April. Morbus pergit decrescere; — ad meridiem aeger errorem committit diaeteticum atque non impune; statim enim mulctatur nausea, mox cephalaea pressiva, ructibus inamoenis, sapore alienato, sensu oppressionis in abdomine, torminibus, alviductionibus fluidis. — D. 20. — 24. April. Statu gastrico profligato, et omni morbo ad pristinum tramitem reducto, deambulatio ope fulcrorum in cubili suadetur, et favente coelo aeger defertur in apricum. — D. 25. April. Febris symptomaticae jam dudum nullum vestigium; aperta physconiae imminutio, et laudabilis virium digestricium conditio, ast passio scorbutica non aequalem offert emendationem. Infuso amaro-aromatico extract. chinae aquos. gr. quindecim adjiciuntur. — D. 26. — 27. April. Extractum ad scrupulum augetur. — D. 28. April. Acid. sulphur. dr. semis adjicitur. Lotionibus cum

aceto — aquae frigidae librae duae cum acidi sulphurici unc. semis substituuntur; vini austriaci libra conceditur; victus augetur. — D. 3. Maji. Vires eriguntur, catarrhus pulmonum, pleraque scorbuti symptomata recedunt, imo evanescunt; aeger hilaris somno fruitur quieto et reficiente, ast durities musculorum et maculae, ardua articulationum pedum mobilitas, tumor ipsarum livescens perstant. — D. 6. Maj. Nonnisi per scalas in apricum deportatio necessaria, in cubili et horto virente ingressus sine fulcris et cum defatigatione modica conceditur; decrescit tumor et durities in extremitatibus, et in articulatione pedum mobilitas sensim restituitur. Aquae destill. foenicul. unc. sex, extract. chin. aquos., gentian. $\overline{aa}$ dr. semis. — D. 8. Maj. Aeger scalas sine fulcris de- et ascendere valet. Elaeosacchar. cinnamom. dr. dimidia et — d. 17. Maj. elixirii vitriol. Mynsichti scrupulus medicinae additus fuit. — D. 24. Maj. sub therapia postremo instituta emendatio morbi celerius ac hucusque progressa est, ita, ut praeter catarrhum minimum, levem articulationis pedum rigiditatem, defectum roboris normalis nil aliud morbosi observatum fuerit; ast tempestas frigido-pluviosa morbum reddidit retrogradum. Hilaritas disparet, delassatio evadit major, redit tumor circa malleolos, ardua pedum mobilitas, imo durities in suris. Dt. infus. ex cort. peruv. r. t. dr. duabus, rad. calam. aromat. dr. una cum elixirii Mynsichti scrupulo et elaeosacchar. foenicul. dr. duabus. — Coelo favente intra breve tempus pristina est

iterum impetrata emendatio et — d. 28. Maj. omnibus functionibus vitalibus rite procedentibus, duritie musculorum in suris, tumore circa malleolos evanidis, aeger in reconvalescentium divisionem dimittitur.

V.

ECCRISES.

E quibus amenorrhoeae et cholerae asiaticae mentionem facere operae pretium est, reliquis hujus tribus formis: haemorrhagiis, diarrhoeis et ictero, quoad decursus et curae rationem vix quid extraordinarii offerentibus.

Amenorrhoea cum spilosi scorbutica.

C. F., puella 18 annorum, temperamenti vivacis, habitus gracilis, morborum aetate infantili exantlatorum non reminiscitur. Bis pneumonia decubuit, prima vice aetatis anno 12., secunda 15., quae vero medicis auxiliantibus absque ullo malo posthumo resoluta est. Die 21. Novemb. anni praeterlapsi, aetatis suae anno 17. sine peculiaribus prodromis mensibus per tres dies sat larga quantitate fluentibus salutabatur, qui tamen ex illo tempore ad hodiernum usque diem non amplius rediere. Primis duobus mensibus ex catameniorum emansione nullas in oeconomiam animalem turbas redundasse aegra refert. Mense tertio tempore

catameniali artuum delassationem et capitis gravedinem persensit, quibus quarto oppressio pectoris, spirandi difficultas et insimul faciei pallor accessit. Tribus ultimis mensibus circa menstruorum tempus associaverunt se dolor in pectore obtusus, sensus constrictionis, tormina ad umbilicum, insignis artuum inferiorum gravedo et delassatio et peculiaris in cruribus efflorescentia. Constitit haec in nodulis ambitus exigui innumeris, suras et regionem tibialem praeprimis obsidentibus, in apice vesiculis instructis, quae ruptae incrustabantur, et diebus quinque vix elapsis desquamabantur. — D. 5. Febr. a. c. post saltationem excedentem domum reversa, dolore capitis diro, gravedine, vertigine et artuum dedolatione mulctatur. Locupletatur malum die insequente pedum crurumque tumore, ardua eorum exercitatione, pectoris oppressione et respirandi difficultatibus acerbioribus, sensu sub sterno ardente, dolore ibidem punctorio et tussicula rara et sicca. Insimul aegra ingente animi morositate conficitur; quam dissipatura hoc eodem die choream reiterat. Ast die sequente perstantibus omnibus molestiis praeter efflorescentiam supra depictam, aliae erumpunt maculae, jam discretae, jam confluentes, variae magnitudinis ac formae, plagam laete rubram constituentes. — D. 11. Febr. Aegra opem quaesitura in clinicum se confert. In occipite dolor obtusus, premens, fixus; caput sub sessione et incessu temulentum, vertiginosum. Lingua muco albicante leviter obducta, humida, ad margines pura; sapor ama-

rescens; sitis quidpiam major, nulla exquisite exoptans; appetitus normalis; respiratio normalis, post vehementiorem corporis motum brevis ac difficilis. Sub inspirio profundo dolor sub sterno et in scrobiculo cordis adcusatur premens, obtusus, fixus; ceterum sensus ponderis et oppletionis; tussis rara, sicca, per dies nonnunquam intermittens et iterum evigilans; abdomen molle, tractabile; temperatura sana; cutis ipsa ad transpirationem prona pallescit et mollescit; pulsus conditio a normali vix abludens, bene evolutus, fortis; alvus ad normam. In cruribus a malleolis ad dimidiam usque femorum plagam maculae conspiciuntur circumscriptae, supra cutem non elevatae, variae magnitudinis, varii coloris ac formae, hinc inde inveniuntur rotundae, exigui ambitus, pulicum morsibus non absimiles, coloris laete rubri; aliae irregularem prae se ferunt extensionem; hinc inde confluentes plagam constituunt coerulescentem; aliae cernuntur striatae, in lineam rectam collocatae; sunt etiam, quae in punctulis occurrant. Quo majores observantur, eo profundius ex rubro in coeruleum tinguntur. Copiosiores et majores visuntur in crure sinistro, caeterum sub attactu colorem non permutantes. Praeter maculas depictas crustulae tanguntur discretae, coloris fusci, cutis plagam maculis descriptis immunem occupantes et scabiei siccae quoad formam penitus similes; ceteroquin musculi suras constituentes notabilem ostendunt duritiem et rigiditatem, concomitantibus articulorum rigiditate, sensu ponderis

plumbei et inconsueta artuum inferiorum defatigatione. Catamenia jam per spatium quatuordecim mensium ex integro et perfecte retinentur. Extr. trif. fibr. dr., aq. flor. tiliae unc. sex p. mixtura.—Aq. comm. libr., elixir. acid. Haller. scrup. semis p. potu. Lotiones cum aceto aqua diluto. — D. 12. Febr. Increscit sitis; tussicula sicca et pectoris oppressio; maculae colorem hinc inde coeruleum, ex coeruleo-flavescentem, hinc inde viridescentem et delinquescentem ostendunt; universim coloris sunt magis obscuri. — D. 13. Febr. Tussi et pectoris oppletioni increscenti vesperi levis accedit febricula. Seponitur amaricans. Dti. alth. libr. duae, inf. liquirit. unc. duae. — D. 14. Febr. Perstat febricula. Dti. alth. unc. sex, tart. tart. dr. duae, syrup. simpl. unc. pro mixtura; potus idem. — Maculae scorbuticae in dies magis decolorantur, delinquescunt et vix amplius distingui possunt. — D. 15. Febr. Mane hora nona aegra corripitur frigore universali, quatuor horas durante, quod aestus excipit universalis. — Vespere facies turgescens; caput dolorificum vertiginosum; respiratio libera, sed sensus plenitudinis in pectore; cutis mollis, rubens, calens sudore madefacta; pulsus frequentior, fortis, plenus. Therapia eadem. Sudores ad mesonoctium continuantes somno excipiuntur reficiente. — D. 16. Febr. Remissio matutina; maculae vix ullam merentur mentionem. Sepositis lotionibus eccoproticum continuatur. — D. 17. — 19. Febr. Levissima febricula, ast quotidianae horripilationes cum

aestu subsequente; tussis rarior, sed pectoris gravedo insignior, sic etiam artuum dedolatio. Suspicio supervenientis febris intermittentis. Therapia eadem. — D. 20. Febr. Frigoris sensatio non amplius revertitur et aegra ferme tota die extra lectum moratur; tussis et pectoris oppressio nulla; dolores capitis evanidi, sed crurum defatigatione derepente ad vesperas increscente aegra perterrefacta crura perlustrans novam detegit macularum eruptionem. Sub accessu vespertino praeter maculas rotundas, laete rubras magnitudine lentis, pulicum morsibus similes, nulla alia observatur anomalia. Extr. cent. minor. dr., aq. flor. tiliae unc. sex p. mixt. — Succi citri recent. pressi unc., sacch. albi unc. semis, aq. comm. libr. duae p. potu. — D. 21. — 24. Febr. Artuum delassatio et pectoris oppressio in aequali ratione crescunt, qua maculae in cruribus pallescere incipiunt. Therapia immutata. — D. 25. Febr. Levis exsurgit gastricismus, sese manifestans per linguam muco albido obductam, appetitum dejectum, intrantes ructus et vomituritiones. — Dtum. hord. c. oxymel. simpl. p. potu. — D. 28. Feb. Abacto gastricismo pristina resumitur mixtura ex centaur. minor. et potus ex succo citri, quibus per tres dies in usum tractis aegra meliorem adipiscitur adspectum, artus firmiores, perstante pectoris oppressione. — D. 2. Mart. Aegra sensum plenitudinis in abdomine, borborygmos frequentes, dolores sacrales trahentes versus symphisim ossium pubis sese extendentes indicat.

Pulp. tamarind., extr. gram., liquir. aa unc., borac. Venet. in pulv. dr. semis sub forma electuarii. — Potus acidulus. — Dr. 3. — 5. Mart. Perstant mensium prodromi, hinc inde praeprimis tempore nocturno remittentes. Intumescit quoque abdomen supra symphisim ossium pubis; tangitur in hac regione tumor circumscriptus, quidpiam dolorificus. Ceterum nulla mutatio. Therapiae eidem pediluvia ex cineribus parata adjunguntur. — D. 5.—7. Mart. Augetur borax ad scrup. duos. — Molimina ad menstrua continua capiunt incrementa. Ceterum aegra bene prospicit et primo intuitu sana habetur. Ast aegra contra omnium vota ad suos reverti cupit et 7. Mart. clinicum egreditur.

Pneumonorrhagia activa cum chloasmatibus, superveniente cholera asiatica.

F. W., miles gregarius, 29 annorum, constitutionis fortis, temperamenti languidi, morbis hucusque semper immunis permansit. Ex aliquot mensibus, qua sartor vitam ducens sedentariam frequentem alvi obstructionem et maculas hepaticas sibi contraxit. D. 26. Januarii sub nixu ad alvum deponendam derepente gravi tussis insultu, levi pectoris oppressione et anxietate invaditur, sub quibus quatuor circiter librae sanguinis partim spumantis, partim coagulati ejiciuntur. Eodem die vesperi in clinicum deportatus offert: mentis sensuumque functiones illaesas; faciem rubentem, modice turgentem sudore madidam; thoracem sat am-

plum et bene conformatum, chloasmatibus diversae magnitudinis obsitum; respirationem quoad frequentiam normalem quidem, ast musculis abdominalibus potissimum peragendam. Sponte thorax parum expanditur, sub inspirio profundo juste et aequabiliter; tussis rara; nullibi adest dolor; situs in omni latere bene conceditur. Latus thoracis sinistrum dum percutitur sonum explicat minus clarum, quam dextrum; in abdomine et quoad cutis conditionem nil abnorme; pulsus normali haud frequentior, aequalis, duriusculus, in carpo sinistro fortior, quam in dextro, quidpiam tensus; alvus hodie dura; sputa sanguine laete rubro intime mixta, spumantia. — Phlebotomia ad unc. octo. — Emuls. amygd. cum nitr. puri drachm. p. mixtura et eadem emulsio sine nitro pro potu. Vena in plica cubiti sinistri incisa sanguinem pleno rivo emisit normali spissiorem et viscidum mox in coagulum secedentem. Sub ipsa sanguinis missione remisit pulsuum fortitudo et expansio pectoris quidpiam augeri videbatur, quin musculi abdominales ad respirationem absolvendam suam contribuere symbolam defuissent. Sanguis placentam exhibuit largam, compactam cum levissima pellicula lardacea, minima seri quantitate mulctatam. D. 21. Jan. Facies composita, vix turgens; appetitus optimus; sitis quidpiam aucta; respiratio paululum liberior ac heri, minus abdominalis; sinistra thoracis pars minus mobilis, quam dextra; sonus sub percussione obtusior; cutis ad omnes qualitates normales; pulsus adhuc duriusculus, quidpiam tensus; urinae

sat largae, sanis saturatius tinctae; alvus nulla; sputa sanguine parco mixta, spumantia, non copiosa. Continuatur tractamen excepta venaesectione. Medicinae hesternae salis amari semiuncia adjicitur. Vesperi nulla in morbo neque in therapia mutatio. Somnus de nocte interruptus. — D. 22. Januarii. Symptomata haemoptoës momenti admodum parvi. Majorem sibi vindicat attentionem alvus ex 36 horis constipata. Dcti. rad. alth. unc. sex, salis amar. semiuncia et syrup. mannat. unc. pro mixtura.— Potus continuatur. — Meridie appropinquante post levem pectoris oppressionem et brevissimam repente sanguinis irruebat ex pulmonibus profluvium quantitatis unc. circiter quatuor. — Vesperi praeter sanguinem dictum maxima ex parte coagulatum ceterum spumantem et lacte rubrum idem ac mane morbi status invenitur; alvus adhuc clausa. Repetitur medicina, quae inf. senn. c. mann. unc. duabus acuitur. De nocte alvus ter movetur pultacea. — D. 23. Jan. Praeter respirationem in latere sinistro adhuc paulisper sufflamminatam et sputa parca vix sanguine striata nil aliud reperitur morbosi. Omnia continuantur. Per diei decursum exonerationes alvi fluidae sexies contingunt, quapropter vesperi mixtura seponitur. — Post visitam vespertinam reconvalescentiae proximus panem clam sibi porrectum cum appetitu comedit. Post duas horas versus nonam aeger alvi deponendae gratia surrexit et in cubili pavimentis recenter lavatis et adhuc madentibus nudis pedibus sellam petit perforatam. In lectum reversus frigore qua-

titur intenso, magnam pectoris et epigastrii persentit oppressionem; dolores ibidem et summam anxietatem cum torminibus in abdomine vehementibus. Mox accedunt vomitus indomitus, alvi fluxus, cardiopalmus effrenatus cum dirissimis in abdomine doloribus constringentibus, aegro clamores et ejulatus extorquentibus. Extremitates valde friguisse, spasmis dolorificis periodicis correptae, facies collapsa, sitis implacabilis, alvi ductiones et vomitiones innumerabiles fuisse dicuntur, sub quibus horrenda transmittitur nox. — D. 24. Jan. Mane. Caput in omni ambitu dolorificum; dolores ejusdem obtusi; animus depressus, summe tristis; mentis facultates dejectae; facies collapsa, ex pallido-coerulescens, oblongata; physiognomia peculiariter defigurata, diros exprimens dolores; obtutus tristis, anxius, languidus; oculi apparenter minores in orbitam relapsi, annullis circumdati nigrescentibus, latis, profunde sulcatis; aurium susurrus; levis baryecoia; nasus quidpiam acuminatus, in apice coeruleus; labia pallida, livida; lingua subsicca, pallida, algida, materia albida quasi cretacea obducta; nausea; sitis clamosa, potulenta frigida et acidula expetens; eximium vini puri desiderium; halitus frigidus; loquela difficilis cum voce depressa, sub majori intentione alta, clangens, quasi metallica; respiratio citata frequentior, suspiriis haud raro intercisa; inspirium profundum concessum; situs in omni latere concessus omni momento ab aegro maxime inquieto mutatur; scrobiculum cordis et abdomen reliquum sensile, tensum;

umbilicus modice retractus; dolores sub pressione rudiori juxta columnam vertebralem obtusi; borborygmi frequentes; cutis ubique sicca, dilute coerulea, lurida, omnis elasticitatis et turgoris expers, ubique algida, abdomine et extremitatibus inferioribus normaliter calentibus; index et pollex sinistri, pollex dexter omnesque pedum digiti spasmis tonicis correpti rigent et summe dolent; pulsus parvi, filiformes, debiles vix tangendi; urinae nullae; materiae vomitu ejectae aquosae, flavescentes cum frustulis panis comesti innatantibus indigestis; materiae alvinae similem istis offerunt qualitatem; summa coenaestheseos alteratio, virium muscularium delassatio et debilitas. Inf. ex rad. ipecac. gr. octo ad colat. unc. sex cum mucil. gg arab. et syrup. simpl. semiunc. — Pulv. sex ex morphii puri grano, sacch. alb. drach. sub insultu spastico sumendi. Dctm. salep cum pauxillo vini austriac. p. potu. Sinapism. ad suras. Glaciei saccharat. c. succo rubi idaci ad vomitum obtundendum. Balnea tepida cum lapid. caust. semiunc. Symptomata modo recensita abhinc usque ad tempus vespertinum protei ad instar omni fere minuto aliam induunt imaginem, jam his, jam illis principatum tenentibus. — Mox enim aeger spasmis suras ad duritiem ligneam usque constringentibus ejulatus emittit, mox suris derelictis spasmi pectoris abdominisque visceribus potiuntur, pronitatem ad lipothymiam, dyspnoeam et dirissimos dolores causantes, quibus periodice intermittentibus vomitiones urgent irrefrenatae, alvi dejectiones indo-

mitae, frigus marmoreum, cyanosis; jam saltem aliqua virium liberatarum et insurgentium reverti videtur imago; evanescit frigus et cum calore redeunte cyanosis, tangitur cutis mollis ad transpirationem prona, pulsus magis evolutus evadit; aeger jam summa inquietudine jactitatur, jam ad somnum fit propensus. Largus remediorum ordinatorum apparatus, prouti rerum conditio exposcit in usum trahitur, momentaneo nonnisi effectu coronatus. — Sic aeque vesperi morbus non mitigandus viam perniciosam praeceps sectari observatur, omnia signa cholerae saevia majori adhuc acie insigniuntur. Aeger prae caeteris de respiratione anxia, valida pectoris oppressione, doloribus circa scrobiculum cordis pungentibus, excedente abdominis sensilitate, doloribus ibidem praesertim circa umbilicum et regionem ventriculi pungentibus, sub levissimo adtactu exasperandis conqueritur. V. S. ad unc. octo. Emulsio spuria pro mixtura. Dctm. rad. salep sine vino p. potu. Sinapismi et balnea continuantur. — Clysma emolliens. — Sanguis ex vulnere sat amplo tarde fluxit, frustula offerens nigrescentia coagulata, sanguini fluido laetius rubro innatantia. Postquam unciae fere septem difficili negotio in lucem prolatae fuissent, pronitas ad lipothymiam conspicua fuit et pulsus in carpo fere evanuit. Morbus omnem per noctem blandiorem ac de die ostendit faciem. Tantum hinc inde spasmis vexatur aeger, vomitionibus, alviductionibus. Per potiorem noctis partem saltem aliqua spes reactionis sufficientis evigilaturae affulget. — D. 25. Jan. Ca-

put vertiginosum; animus perquam tristis; facies magis collapsa ac heri, lurida, defigurata, rugosa; oculi in orbitam profunde retracti, languidi, annulis fere nigris insignis latitudinis sulcati; labia livida; lingua frigida, muco crasso, sicco obtecta; sapor putridus; sitis imminuta quidem sed vinum adpetens purum; vox magis depressa, rauca, sub ardua laryngis intentione vehementiori specifice exaltata; respiratio rara, parva, laboriosa suspiriis frequentibus intercisa; abdomen modice expansum indolorificum; cutis ingrate frigida, rugosa, omnis turgoris et elasticitatis expers; unguium cyanosis eximia; urinae adhuc nullae; debilitas totius corporis multo major, quam heri mane. Pulv. sex ex rad. ipecac. drachm., camph. ras. gr. sex, pulv. gg arab., sacch. alb. aa dr. semis. Decoct. salep cum vino uti supra. Sinapismi cum armoracea femoribus et abdomini imponendi. — Frictiones extremitatum assiduae. Remediis pro necessitate in usum tractis egregius circa meridiem accersitur effectus; evanescunt spasmi, vomitiones, alviductiones; cutis algida, sicca, lurida calere, sudores fundere universales, peculiarem dispergentes odorem, non inamoenum, colore laetiori tingi incipit. Pulsus volumine increscit et aeger magnam euphoriam persentiens de recuperanda salute jamjam gaudet. — Ast hora quarta absque causa invenienda temperatura cutis repente imminuitur, sudor nunc refrigeratus faciem obtegit, cutis ubique locorum lurida evadit, extremitates profunde coeruleae frigent. Sub accessu vespertino invenitur morbi imago

omnem spem eludens; animus maxime depressus et tristis; facies fere hyppocratica; oculi profunde siti, summe languidi, splendoris expertes; genae frigentes; lingua tegmine albo obducta, difficilis porrectu; vox depressa; respiratio suspiriosa; abdomen sensile, minus adtactum perferens, quam mane; extremitates marmoreae; urinarum excretio ex triginta sex horis silens; pulsus nullus. Omnia artis adminicula largius adhibentur, ut vires axhaustae erigantur, sustententur et reactio contingat organismi, sed frustra, nulla extorquetur reactio et aeger, perstante ad ultimum vitae momentum conscientia, post mesonoctium sub paralyseos et exhaustionis phaenomenis exspiravit.

Sectio cadaveris.

Invenimus corpus bene nutritum; antibrachia, manus cum digitis rigidas; sic etiam simili statu contracto extremitates inferiores; ungues coeruleos; calvariam compactam, sanguine divitem, parum transparentem; vasa meningum sanguine nigro dilatata, sicuti et sinus ubicumque sanguine nigro et largo expansos; intra gyros cerebri levem exudationen serosam; cerebrum cum cerebello eorumque cava, sicuti et fundum cranii perfecte ad normam; glandulas muciparas ad radicem linguae modice tumidas et prominentes; linguam coeruleam; membranam mucosam laryngis et tracheae vasculis sanguinolentis injectis magis provisam, rubicundam et quidpiam tumidam; pulmonem utrumque, praecipue tamen sinistrum pleurae costali sat firmiter adnexum; pulmones ipsos quoad structuram, uti esse debent, sanguine tamen quidpiam magis scatentes; cor volumine majus; majori quantitate pinguedinis provisum; tria cava cordis utpote atrium utrumque et ventriculum dextrum sanguine coagulato nigro modice expansa; quartum cavum vacuum; hepar parvum, flaccidum, coloris ex

fusco magis grisei, texturae normalis; lien ad normam; in duodeno continetur circiter uncia fluidi spissioris ex flavo-viridis, consistentis ex muco spissiori, bile remixto; vesica fellea continet circiter unciam bilis spissioris ex atro-viridis; pancreas ad normam; vasa intestinorum tenuium tantillum expansa, hinc inde conspicua rubedo major; omnis membrana mucipara tubi alimentaris conspicitur tumidula cum nodulis seminis papaveris usque ad granorum milii magnitudinem elevatis, qui formam aemulantur exanthematicam milliarium (veluti milliaria alba seu lactea) et in superiore ilei parte rariores, deorsum amplificantur, ut versus valvulam Bauchinianam numerosissimi adpareant; renes parvi flaccidi; vesica urinaria vacua; ventriculus fluidum continet cremori hordei simile, quantitatis ultra libram, membrana villosa maculis notata rubris; pylorus muco tenaci, viridicante obductus.

Pleuritis rheumatica cum catarrho pulmonum, superveniente cholera asiatica.

Miles gregarius, quintum adeptus lustrum, habitus gracilis, constitutionis erethicae, temperiei sanguineae, 20. aetatis anno peripneumoniam et peritonitidem exantlavit. — D. 11. Aprilis catarrho jam adfectus novo sub vigiliis refrigerio contracto, dedolatione, capitis gravedine, polydipsia et frigore impetitur, quod in horrorem usque tremore artuum et unguibus coerulescentibus insignem adscendens aestu urente excipitur. Mitescentibus post horam omnibus aeger aliquot horas per noctem somno indulget. — Vesperi diei insequentis omnes molestiae ne horrore quidem excepto majori impetu revertuntur, doloribus in latere pectoris sinistro pungentibus ad spi-

nam dorsi serpentibus, respirii angustiis et tussi molesta comitibus. — D. 13. April. in clinicum vesperi suscepti: caput vertiginosum et occupatum, cephalaea in fronte pressiva; narium orisque siccitas; facies intensissime calet, rubet, turgetque; anorexia; polydipsia; in pectoris parte sinistra levis oppressionis sensus; in eodem latere dolores pungentes, urentes, ad scapulam et spinam dorsi usque progredientes, sub attactu exasperandi; tussicula sicca, brevis intercepta cum sputis spumantibus. Situs in latere dextro concessus; epigastrium sensile; cutis ad transpirationem prona, intensissime calet; pulsus aequalis frequens, fortis, durus, contractus; alviductiones binae fluidae. Dct. alth. unc. sex, arcan. dupl. dr. tres, nitr. depurat. drachm., oxymel. simpl. unc. — Dct. hordei c. oxymel. simpl. p. potu. Cataplasmata emollientia ad pectus. — D. 14. April. De nocte saeviebat tussis cum sputis mucosis sanguine striatis; alvus fluida ter mota et sudores largissimi. Nunc mitior omnis morbi effigies. Dissipato rubore facies flavet, praesertim ad teneriores cutis plagas, oculos et nasi alas; flavent albuginea oculorum, superior pars colli, regio subclavia, ipsa brachia. Reliqua morbi symptomata permultum mitiora; febris modica; urinae limpidae, sine ullo crisium vestigio; alvus pultacea ter subsequuta. Restringitur arcan. dupl. ad drachmam; cum ceteris pergitur. — Versus horam nonam matutinam febris exacerbatio ad vesperam usque perdurans, tussi vehemente comitata. — D. 15. April. Nox

quietior. Hodie eximia morbi remissio. Facies hilarior; flavedo pro maxima parte fugata; sitis modica; orexis; respiratio normalis, hinc inde sine tussi concessa; dolores ubicumque mitissimi vel nulli; pulsus paululum frequentior, mollis; cutis amoene calens per omne corpus sudore madens; urinae largae, turbidae, furfuraceae, sedimentum quoque gravius lateritium, roseum tenentes. Eadem therapia. Emulsio amygdalina p. potu. — D. 16. April. Solvitur morbus per sputa cocta, sudores et urinas. Restringitur nitrum ad semidrachmam. — D. 17. April. Continuant criseos indicia. Praeter levissimam capitis gravedinem, dolores in thorace sinistro modicos et pulsuum frequentiam vix animadvertendam, nil in toto organismo abnorme. — Vesperi aeger non obstantibus rebus adeo fauste cedentibus pussillanimis de recuperanda salute desperat. — D. 18. April. Eadem morbi imago, doloribus lateris sinistri exceptis, qui novam aciem nanciscuntur. Applicantur hirudines Nro. 12. — Dct. alth. unc. sex, arcan. duplic. drachm., syrup. sambuc. unc. — Dctum. hord. cum oxymel. simplic. p. potu. — Sugentibus adhuc hirudinibus minores in plagis irritatis dolores sentiri declarantur. — Idem status emelioratus sub accessu vespertino. — D. 19. April. Ante mesonoctium somnus sat quietus, rarissime tussi turbatus; ast circa mesonoctium aeger somno expergefactus dolores in abdomine hinc inde scindentes, fugaces persensit, quos brevi post cum celeri et valido nisu magna absque dolore sequebatur alvinae excre-

tionis copia. Simili ratione per reliquam noctis partem somnus quinquies interruptus fuit alvi dejectionibus copiosis, cujus singulam magnus dedolationis et debilitatis sensus comitabatur. Silebat tussis ex integro; partium adfectarum sensilitas minima. Mane facies quidpiam collapsa, alienata; lingua pura; labia sicca; sapor fatuus; sitis nulla; appetitus prosratus; respiratio normalis, profunda dolorum expers; tussis rarissima, sicca, brevis; abdomen molle, tractabile, indolorificum; urinae parcae ex rubro-flavae limpidae; cutis ad normam; pulsus vix frequentiores, pleni, molles. Dct. spec. alth. unc. sex, syrup. diacodii, muc. $\overline{\text{gg}}$ arab. $\overline{\text{aa}}$ unc. semis p. mixt. Dctum. hord. c. sacch. p. potu. Continuantur cataplasmata. — Usque ad horam undecimam idem dedolationis sensus, levis vicissim somnus. Jusculum et pruna circa meridiem absque appetitu comesta mox vomitu ejecit. Abhinc peculiaris anxietas et inquietudo; iterum diarrhoea profusa, fluida, tum vomituritio, vomitus et intra aliquot horarum spatium alviductionibus decies, emesi quinquies subsequutis, summus virium collapsus. Vesperi situs neglectus; summa inquietudo; continuus corporis motus, qui nequaquam vivax de languore potius testatur. Caput temulentum; cephalaea pressiva; conscientia immunis; sensuum internorum functio quidpiam languida, aurium susurrus; facies collapsa, pallida, defigurata, coerulescens; oculi in orbitam retracti, annulis nigricantibus cincti; obtutus langui-

dus; visus obnubilatus; alae nasi pallidae, contractae, lineis coeruleis circumdatae; labia sicca ejusdem coloris; lingua muco albido tecta, frigida adtactu; sapor fatuus, limosus, sub vomitu dulcescens; sitis clamosa cum avido aquae frigidae et cerivisiae desiderio; vox altior, rauca, specifico modo alienata; respiratio frequentior, anxia, laboriosa; cordis palpitatio vix tangenda; sub inspirio dolores levissimi in plagis inflammatione captis; abdomen retractum; sub profundiori pressione in regione ilei dolor obtusus; materiae fluidae tum per alvum, tum per vomitum egestae albidae, decocto salep, sero lactis non absimiles, omnis expertes odoris ingrati. Contingit vomitus sine nixu, facillime magna ejicitur fluidi albi paululum viridescentis copia. Cutis per totum corpus sicca, laxa, flaccida, in facie, antibrachiis, cruribus rugosa, frigida; unguium et manuum cyanosis modica; pulsus frequens, debilis, inaequalis, intermittens in extremitatibus, unduosus in carotidibus et sat fortis in aorta abdominali. Ordinantur infus. rad. ipecacuanh. ex gr. decem p. unc. sex, syrup. cort. aurant., muc. gg arab. aa unc. semis. Sinapismi ad regionem hypogastricam. Aqua frigida et pill. glaciales pro libitu deglutiendae. Circumvallantur extremitates urceis, aqua calida repletis pannoque involutis. Imo jusculum vinosum, quum expeteret aeger cochleatim propinatur. — D. 20. April. Circa horam octavam vomitu penitus silente pulv. rad. ipecac. scrup. duo, sacch. albi drach. praescribebantur. Ante mesonoctium symptomatum nunc

depictorum eadem turma. Ingesta quaecumque vomitus insequitur, plerumque absque manifesto preli abdominis motu peractus; diarrhoea profusa, minus sero lactis similis, coloris plus flavicantis, floccis albidis intermixta continuat. Hora nona sura sinistra, undecima epigastrium spasmis corripitur tonicis cum summis aegri cruciatibus et horrente pedissequo vomitu. Abhinc absque omni typo symptomatibus jam silentibus jam recrudescentibus horrenda transmittitur nox. — Hodie praeter hesterna incrementum inquietudinis et anxietatis; nisus in lotionem faciei cum aqua gelida; hilarior post hanc obtutus; conamen aegri lectum deserendi; summus oppressionis sensus; nullus in pectore dolor; cutis temperatura multum imminuta praecipue in facie et extremitatibus inferioribus; cyanosis totius corporis; in brachiis et cruribus cutis plagis tum minoribus, tum majoribus coeruleis variegata; pulsus in extremitatibus vix tangendus. Pulv. rad. ipecac. dr. tres in 18 pulv. dividendae, quorum singulus omni decimo quinto minuto porrigi jubetur. Sinapismi ad abdomen. Instituuntur frictiones cum glacie. Exhibentur camph. rasae gr. octodecim et sacch. albi dr. tres in pulv. 18. Epithemata capitis glacialia. Imo sanguinem detrahere tentatur, qui ad unc. tres nigricans, glutinosus et omni sero destitutus e vulnere sat amplo difficili extricatur negotio. Ast omnia frustra. Symptomatibus per diei decursum jam plus, jam minus tumultuantibus, paralyseos universalis signa circa mesonoctium tandem ingruunt; aeger sui

inconscius frigore superfunditur marmoreo et hora secunda ultimum auditur suspirium.

Necroscopia.

Praebet funus lividum adspectum, omnibus morbo isto gravi trucidatis communem. Faciem scilicet videmus collapsam (hippocraticam), oculis sulco ad inferiorem palpebram profundo cinctis, tali modo in orbitam retractis ut hujus margo et inferior distincte adpareat. Maxilla inferior ore clauso fixa, immobilis, extremitatum inferiorum extensio, superiorum flexus; earum rigiditas summa gravem morientis cum hoste terribili indicare videtur luctam. Manuum et pedum coerulescentium digiti paululum flexi cutim monstrant corrugatam.

Magna e secto effluit epicranio sanguinis copia, amoto cranii fornice visuntur falx cerebri et vasa omnia durae matris sanguine atro scatentia; intra arachnoideam et piam matrem exsudatio seroso-lymphatica grisei coloris; substantia cerebri sanguine dives, tenax; solidior illa cerebri; mollior haec cerebelli; in ventriculorum tricornium singulo drachma seri sanguinolenti; glandula pinealis excavata, ad pisum majus magna fluidoque limpido repleta; in fundo cranii modica seri rubicundi quantitas. In cavo pectoris pulmones sanguine divites adparent, pleurae costali, praesertim dextrae ope pseudomembranae firmiter adcreti, lobus inferior sinister pulmonis, hepatis refert consistentiam; ceteroquin nil in ipsis morbosi; in pericardio sesquiuncia seri fluidi; cor parvum flaccidum; ejus ventriculi et atria sanguine atro, tenaci magnisque repleti pseudopolypis. In abdominis cavo adspicimus hepar voluminis consueti, coloris pallidioris, tenacem, ponderosumque; cystim felleam, bile atro-viridescente repletam; ductum hepaticum et choledochum pervium; lienem et pancreas sanos. Ventriculus duas circiter libras fluidi albicantis, camphoram redolentis offert; nil in ejus membranis notatu digni; intestina tenuia ex griseo-pallida, muco ex albo-flavicante, versus ileum vero fluido rubello floccis intermixtis scatent; mucipara membrana vasis innumeris instructa pla-

gulas ostendit flaccidas, laxiores, incrassatas, tumescentes imo laceratas, quae versus ileum crebrius adparent, hinc inde punctulis rubris vel segregatis vel et coacervatis notatae. Intestina crassa aëre distenta, faeces exiguas continentia; renes vix a norma abludentes reperti; vesica urinaria collapsa, circa drachmam tenet lotii albicantis.

VI.

NEUROSES.

Unum epilepsiae specimen, cujus insultus sat vehementes ex triennio saltem omni tertio die, hinc inde singulis diebus revertebantur, in viro 25 annorum, qui puer turpi masturbationis vitio et ex 15. aetatis anno concubitui vago indulgebat, observabatur. Lotiones genitalium et spinae dorsi frigidae usus camphorae cum pulvere foliorum aurantiorum in dosibus sensim augendis internus, sub finem clinici, insultus saltem differebant.

Epilepsia perfecta ex plethora abdominali.

Puella 19. annorum, constitutionis sat firmae; temperamenti sanguinei, a sexto aetatis anno cephalaea saepius se molestatam fuisse recordatur, quam epistaxis plerumque subsequuta sat copiosa levamen inducere solebat. Anno decimo septimo sub consueto naturae nisu menstrua apparuere, quae typo normali periodico adstricta quoad quantitatem et qualitatem

normalia per decem circiter mensium spatium fluxere. Abhinc binis, post ternis mensibus reversa, demum penitus cessavere ast non impune; diversis enim ex eo tempore molestiis gravabatur, congestiones ad pectus et encephalon graves testantibus. Circa finem anni aetatis suae decimi octavi summo mane anxietate, oppressione pectoris et respiratione anhelosa adfecta collabitur et conscientia privatur. Extremitates parentibus autoribus sub insultus initio rigentes convellebantur et digiti praeter pollices in pugnum inflectebantur, qui insultus intra unius mensis spatium ter quaterve sensim fortior repetebatur. Eodem ab hinc anno insultu fortiore corripiebatur. Praegressis nimirum gravibus enkephalosymphoreseos signis, insultus a clamore aegrae penetrante inchoavit, quem insequebantur sensuum et conscientiae abolitio subitanea, dein convulsiones universales sat validae; capitis et colli in unum alterumve latus inflexio; tensio musculorum abdominalium spastica, digitorum in pugnum inflexio, pollicum retractio, extremitatum rigor, praeterea vasa faciei et colli admodum tumida, facies turgens et unacum labiis livida, oculorum rotatio et distorsio, respirium suspiriosum, dentium stridor, spuma oris, et ad finem involuntaria urinae excretio; dein status soporosus cum sudore largo, qui insultus saepius reiterabantur. — Chirurgus, cujus opem parentes imploraverant, ab initio aquam laxativam Vinnensem, aquam cerasorum nigrorum, aquam melissae praescripsit,

postea pillulas ex gummi. assa foetida, gum. ammoniaco, castor., moscho et ext. hyoscyami. Sequelae autem horum insultuum diutius atque pertinacius persistebant, inter quas sensuum et facultatum mentalium laesio eminebat. Sub continuato harum pilullarum et balneorum tepidorum simplicium usu insultus quidem non revertebantur, sed remanebant dolores in pectore, juxta columnam vertebralem ascendentes, frequens gasteralgia, nausea, cordis palpitatio, visus debilitas. Notandum adhuc venit, quod ex eo tempore, quo prima vice aegra insultu plectebatur epileptico, menstruorum loco fluidum decolor mucosum ex genitalibus effluxerit. — Decima octava Mart. a. c. aegra insultum supra depictum passa et in ignem lapsa magnam cutis in fronte et naso partem combussit. — Die 19. Mart. vesperi in clinicum suscepta offert: Caput occupatum et sub motu corporis in regione frontali obtuse dolens, sub situ erecto per longius tempus protracto, vertiginosum; mentis facultates paulisper offensas; faciem turgentem et laete coloratam; in sinistra frontis parte aliquot vesiculas, fluido diaphano repletas et plures maculas diversae magnitudinis ex viride-brunescentes et inflammatione levi erysipelatosa circumcinctas; similem inflammatiunculam in naso; palpebram inferiorem et genam sinistram inflammatas et leviter tumescentes; oculos vivaces, sensiles, linguam normalem; saporem quidpiam alienatum; interdum nauseam; collum et thoracem sanum; abdo-

men molle, tractabile, pastosum, et nusquam nec sub tactu rudiori dolorificum; dolores in ventriculo cordis contrahentes; praesentem effluvium fluidi decoloris e genitalibus; dedolationem summam extremitatum, ita ut aegra vix incedere valeat; cutis calorem normam aliquid excedentem, sed amoenum et aequabilem; urinas nondum visas; alvum ex biduo haerentem; pulsum normali frequentiorem, sat fortem, plenum. Emuls. amygdal. libr., nitr. dep. scrup., sacch. alb. semiunc. p. potu. — Olei olivar. uncia ad plagam combustam illiniendam. — D. 20. — 23. Mart. Hoc quatriduo molestiae ab ultimo paroxysmo relictae sensim evanescebant, ita ut sensus interni liberiores evaderent, sensuum externorum illusiones et dedolatio universalis imminuerentur, sensatio tamen plenitudinis et aestus interni in abdomine et ex hoc sursum ad collum usque sese propagantis nonnunquam adparebat; cessavit quoque gasteralgia et fluxus ex genitalibus; ceterum urinae et alvi secretio, conditio cutis et pulsus erant uti in statu sano. Plagae combustae in suppurationem versae pus benignum secernebant. — Therapia manebat. — D. 24. — 26. Mart. Fluunt per duos dies menses sat largi — plagae combustae interim incrustatae desquamantur. — P. potu inf. flor. verbasci. — D. 27. — 31. Mart. Fluxu menstruo abacto, uti consuetim cephalaea evigilat et capitis vertigo. Plagae combustae cuticula obteguntur tenera. — Dti. gram. unc. sex, arc. dupl. dr. tres, syrup. mannat. unc. — D. 1. — 5. April. Alvus bis

terve quotidie movetur. Aegra fortem se sentit et consueta fruitur sanitate relativa. Omittitur eccoproticum. — D. 6. — 7. April. Somnia inquieta somnum nocte praecedente turbarunt; per diem aegra lectum tenens occupatione, dolore et temulentia capitis, somnolentia, oculorum illusionibus levibus, borborygmis, sensu aestus interni in abdomine molesto vexatur. Revocatur eccoproticum. — D. 8. April. Mane aegra sub induendis vestibus verba fatua proferens talem se gerendi modum ostendebat, ut sociae mentis facultatem ipsius laesam agnoscerent. Hora nona morbosa offert: caput tentatum et sub situ erecto vertiginosum; cephalaeam frontalem; sensationem peculiarem; quasi mentis facultates alienatae essent; oculos vivaces, obtuse dolentes; varias visus hallucinationes; in auribus dolorem pungentem, tinnitum et baryecoiam; sensus olfactus illusionem; faciem rubentem et calentem; linguam humidam, muco albicante tectam; appetitum imminutum; saporem quidpiam alienatum; sitim adauctam; porro sensationem halitus frigiduli a nucha juxta spinam dorsi migrantis aut aquae frigidae defluentis; abdomen molle quidpiam expansum et sensile cum sensu caloris interni; in singulis corporis partibus sensum ictus quasi electrici; in extremitatibus stuporem, formicationis et imprimis in digitis tactus obtusi sensum; delassationem universalem; cutem amoene calentem, mollem ad transpirationem pronam; alvum ex mane bis exoneratam, pultaceam; pulsum, quod frequentiam attinet normalem, sed fortem

et duriusculum. — Dti. gram. unc. sex, — arcan. duplic. drachm. tres, infus. senn. c. mann., syrup mannat. āā uncia. — Emulsio nitrata p. potu. — Sinapismi ad plantas pedum. — Hirudines Nro. 12 retro aures. — Fomenta frigida ad caput applicanda. — Hirudines bene suxerunt et sanguinis fluxus per tres horas insuper sustinebatur, unde aegra levamen persensit. — Vesperi magna emendatio; caput parum occupatum; cephalaea levis; mens libera; sensus visus, auditus, olfactus et gustatus immunis; sitis adhuc aucta; rubor faciei evanidus; in abdomine adhuc sensatio aestus; artuum dedolatio ex mane minor; alvus una fluida; cutis amoene transpirans; pulsus quidquam fortis et duriusculus. — Confitetur aegra effluvium heri vesperi cessantem fluidi mucosi e genitalibus tempore meridiano iterum apparuisse et sat largum adhuc perstare. — Omnia praeter hirudines et sinapismos continuantur. — D. 9. April. Nox erat quieta, summo mane vero aegra expergefacta, aestum in abdomine intensissimum et sensum ardoris sursum ad collum ascendentis sensit; paulo post abripiebatur dolore punctorio, dirissimo in scrobiculo cordis, ita ut ob ejus vehementiam pro momento conscientia orbaretur, et se perituram gemeret, cujus saevitia quidpiam moderata insequebatur; summa dysphoria, nausea et dein dolores punctorii mitiores, ex regione nominata ad spinam dorsi et juxta hanc sursum ad pectus migrantes, et per dimidiam horam fere durantes; aegra vero in lecto sese hinc inde jactitans, verbis incon-

cinnis prolatis, mentis facultatem laesam ostendentibus, sub adventu matutino hujus non reminiscitur. Caput parum occupatum; mentis facultates obnubilatae; oculi obtuse dolentes; sensus externi fere liberi; sitis aucta; in abdomine praeter sensibilitatem nil morbosi, effluxus e genitalibus perstans; cutis conditio sana; alvus bis deposita fluida; pulsus normali frequentior, fortior. — Jubetur therapia vespertina continuari. — D. 11. April. Summo mane aegra expergefacta sensationem aestus interni et ardoris ad collum ascendentis persensit; dolores scindentes, validos in scrobiculo cordis versus spinam dorsi et juxta hanc sese propagantes, tum vertiginem et nauseam, quae mane omnia evanuerunt. — Therapia eadem omisso inf. senn. c. mann. — D. 12. — 15. April. Evanidis sensim molestiis ex congestionibus, aegra levi solum occupatione capitis, ictibus in singulis corporis partibus percipiendis, sensu stuporis aut formicationis in extremitatibus, calore in abdomine moderato nonnunquam molestabatur; ceterum sat bene valens extra lectum versabatur. — Therapia hesterna. — D. 16. — 23. April. Continuat emendatio morbi medicaminibus inducta. — Emulsio amygdal. nitrata omittitur. — D. 24. April. Nocte praecedente somnus per somnia inquieta turbatus; mane aegra accusat cephalaeam vehementem, sub erectione vertiginem; nauseam; oculorum erga lucem sensilitatem et illusiones visus consuetas; auditum difficilem; sensationem halitus frigiduli a capite juxta

spinam dorsi descendentis, oppressionem pectoris; sensum vehementis aestus et plenitudinis in abdomine et exinde ad pectus et collum ascendentis; dolores pungentes in regione sacrali; delassationem universalem insignem; atque in extremitatibus interdum sensum formicationis et stuporis; ictus quasi electricos; facies est rubens, turgens et calens; pulsus fortis, duriusculus; cutis amoene calens tangitur. Excretio mucosa e genitalibus parca. — Dct. gram. unc. sex, tart. borax. semiunc., syrup. mannat. unc. — Fomenta frigida ad caput. — Vesperi status idem. — Praemisso pediluvio venaesectio instituebatur in pede dextro cum levamine subsequente. — D. 25. — 26. April. Hoc biduo plurima symptomata plethorae abdominalis et congestionum sanguinis ad superiora evanescebant, nonnullis hinc inde reviviscentibus. Effluxus e genitalibus perstitit. — Mixtura eadem hauritur. — D. 27. — 28. April. Symptomata congestionis denuo recrudescunt, stillicidium mucosum e genitalibus nondum cessat. — Reiteratur venaesectio ad unc. septem in pede cum notabiliore molestiarum lenimine. — D. 29. April. Urgent molimina ad insultum epilepticum jam supra depicta, quae vero vesperi alvo fluida quinquies subsequuta mitescunt. — Dtm. salep. c. succo citri et syrup. rub. idaei. — Sinapismi ad suras. — D. 30. Apr. Sensilitas in scrobiculo cordis insignis; delassatio universalis; fluxus e sexualibus perstans; cutis quidquam calida; pulsus frequentior, fortis et duriusculus. — Inf. digit.

p. ex gr. sex p. unc. quinque, tart. borax., syrup. mannat. āā unc. dimid. — D. 1. 2. Maj. Sub usu horum remediorum per biduum continuato apparitiones congestionum sanguinis ad organa superiora et ipsius plethorae abdominalis notabiliter recessere, fluxu e genitalibus perseverante. — D. 3. Maj. Alvo clausa symptomata congestionis reviviscunt. — Pulv. rad. jalap. dr. semis, rhei chin. gr. decem, sacch. alb. drach. in sex partes divid. — Pulveres, qui alviductionem sexies ciebant, insigne tulerunt levamen. — D. 7. — 19. Maj. Hac nocte menses apparuere sat largae per quatuor dies fluentes, perstante valetudine notabili. — De pulveribus supra nominatis tantum duo de die porriguntur. — D. 20. — 26. Maj. Notabilis ad encephalon et pectus symphoresis. — Kali subcarbonic. scrup., succi citri q. s. ad perfectam saturat., solv. in dct. gram. unc. sex, syrup. simpl. unc. dimid. — Sequente die emendatio status morbosi sat conspicua, effluxu e genitalibus mucoso intrante. — D. 27. — 29. Maj. Congestione sanguinis ad encephalon iterum in conspectum veniente ordinavimus: cremor. tart. dr., aqu. comm. unc. sex, syrup. samb. semiunc. — D. 30. — 31. Maj. Symptomata morbosa sensim recedebant; emendatio epistaxi aliquoties sponte contingente admodum acceleratur. Aegra extra lectum morans, remedio nominato usa, bis terve de die alvum deposuit. — D. 1. — 4. Jun. His quatuor diebus aegra nullis amplius molestiis vexata, sanitate relativa gaudet. Remedium tamen alvi

movendae gratia continuatur. — D. 5. — 10. Jun. Praegressis et concomitantibus moliminibus sat molestis menses intrabant et per sex dies sat copiose fluebant. Aegra ceterum bene valens. Seposita mixtura supra ordinata simplex dtm. alth. hauriebatur. — D. 16. Jun. Menstruis abactis omnis medicaminum usus ulterior vetatur et quum aegra nullis amplius molestiis, congestione et plethora abhinc vexaretur, imo in diem se firmiorem ac mente sensibusque liberiorem, quam unquam ante sentiret, dimissa fuit.

Amenorrhoea cum hemiplegia symptomatica, superveniente febri catarrhoso-rheumatica et symphoresi ad encephalon.

A.W., puella 22 annorum, habitus sat robusti, temperamenti sanguinei, pelvi angusta, thorace complanato, mammis pusillis, in evolutione retardatis, insignita prima in infantia variolas exantlavit humanas. Jam ex anno septimo cephalaea pressiva post coenam, corporis motum et spirituosorum usum ingravescente vexatur, cui anno decimo sexto dolores sacrales cum extremitatum inferiorum stupore, motu difficili et sub passu dolorifico et palpitatione cordis consociabantur, omni ut ait aegra mense quarto exacerbandi, donec menstruatione anno 18. intrante molestiae modo dictae evanuerint. Ast menstruatione post biduum cessante dolores isti reviviscebant, ex quo tempore aegra solummodo omni tertio quartove mense men-

struans doloribus capitis nunquam libera fuit. Ante dies quatuordecim lecto vix derelicto dolores in abdomine persentit trahentes, per vices de die redeuntes, quibus intra decem dies oppressio pectoris, tussis cum ejectione materiei puriformis, dolores capitis intensiores cum sensu ardoris et lassitudine universali socii accessere. Pulveres albicantes a medico quodam praescripti sine ullo effectu sumuntur. — Die 30. Januarii vesperi in clinicum transvecta sequentem offert morbi imaginem: Dolores in regione frontali vehementes, lacerantes, pressivos, sub situ horizontali adaugendos, erecto imminuendos; sensum caloris ibidem intensissimi, manibus quoque percipiendi; pulsationem carotidum et arteriarum temporalium vehementem; faciem intense calentem et rubentem; tinnitum aurium; oculos lucem fugientes, lacrimantes, tumescentes; sternutationem periodicam; nares et labia sicca; sitim; respirationem frequentem, citatam, anxiam, profundam concessam; tussim non raram; sputa partim cocta, partim cruda; accusatur dolor lacerans et sensus oppletionis in pectore praecipue sub sterni manubrio. In extremitate sinistra tam superiori, quam inferiori indicat aegra sensum formicationis, aquae frigidae juxta nervorum decursum defluentis, frigoris, manibus percipiendi, extremitatum motum difficilem, stuporem periodicum, colorem ex rubro-coeruleum; cutis excepto capite normaliter calet. Pulsus frequens, fortis, subdurus. Alvus constipata; menstrua jam ex mense Mart.

silentia. V. S. ad unc. octo. — Dtm. rad. alth. unc. sex c. arcan. duplic. dr. duab. et syrup. rubi idaei seminuncia. Emulsio amygdalina cum nitro p. potu. — Sanguis e vena missus in arcu fluebat et vasculo exceptus paulo post largam quantitatem cruoris, parum seri ostendebat. Sanguine misso dolores in capite, sensus aestus et oppressio pectoris imminuebantur; remittebat quoque stupor in extremitatibus, sensus ibidem frigoris et formicationis; nox ob tussim frequenter ingruentem agrypnica. — D. 31. Jan. Aliqua symptomatum placatio adhuc conspicua, praeprimis encephalon et extremitates spectantium. Verumvero non aequali ratione recedit character rheumatico-catarrhosus; continuat fluxus tenuis ex naso, sternutatio, nec non tussis frequens cum dolore sub sterno pungente et sputorum subcoctorum ejectione; febris quoque mitior inventa. Therapia continuatur excepta V. S. — Vesperi ob alvum nondum sequutam enema emolliens applicabatur. — De nocte aestu in capite et doloribus ibidem mitigatis somnus concedebatur, attamen versus mane doloribus trahentibus novis in regione sacrali interruptus. — D. 1. Febr. Symptomata cephalica magna ex parte evanida; perstant catarrhalia in stadium criseos vergentia; hemiplegia et rheumatismus ex integro evanidus. Regio hypogastrica, praesertim inguinalis sinistra, dolorifica tangitur. Amenorrhoea perstat. Dct. rad. alth. ex dr. duab. p. ad colat. unc. sex, tart. borax. unc. semis et syrup. mannat. uncia. Decoct. spec. alth. cum syrup. rub.

idaei p. potu. Cataplasmata emollientia regioni pubis imponenda. — Vesperi modica exacerbatio. Ob alvum adhuc haerentem electuarii lenitivi unc. Per noctem aegra parum dormivit ob dolores cephalicos recrudescentes, qui alviductionibus binis sequutis iterum mitescebant. — D. 2. Febr. Febris major. Symptomata cephalica novam recuperant saevitiem; sensatio in hypogastrio plenitudinis et dolores increscunt; tussis rara, sputis globosis coronata. Therapia eadem. — Vesperi. Non cessat sanguinis versus encephalon et pectus impetus violentus; augentur dolores capitis et aestus, aurium tinnitus, oppressio pectoris et respiratio anxia. Ad alvum relaxandam mixturae adjicitur inf. senn. c. mann. unc. — Emulsio comm. lib. p. potu. — D. 3. Febr. Febris ingravescit; symptomata capitis et pectoris ex effrenato sanguinis orgasmo ferociorem ostendunt faciem; molimina ad menses intensitate et extensione increscunt; acuuntur sensilitas abdominis, dolores trahentes, praecipue supra symphisim ossium pubis, versus sternum propagandi, accedunt dolores periodici in regione lumbali. V. S. in pede sinistro ad unc. octo. — Decoct. rad. gram. unc. sex, tart. borax. semiunc., inf. senn. cum mann. et syrup. mannat. aa uncia — repetitur potus ut heri vesperi. Continuantur cataplasmata, sinapismi ad suras — Post phlebotomiam dolores et aestus capitis, oppressioque pectoris sensim remisere, ita ut aegra circa meridiem ex toto liberam se senserit. — D. 4. Feb. Remissio, quae heri tempore meridiano intravit, per-

severat. Febris catarrhosa in summo decremento. Excepta V. S. tractamen idem. — D. 5. Febr. Symptomata encephalosymphoreseos iterum increscunt; tussis frequentior; scrobiculum cordis adtactu dolorificum; tangitur ibidem aorta valde pulsans. — Ad vesperas vomituritio et vomitus fluidi acidi. Therapia eadem. — Pediluvium. — D. 6. Febr. Nullum sequitur lenimen. Hirudin. Nro. 12 ad internam femorum faciem. Augetur in mixtura infus. senn. c. mann. ad unc. duas. Pro potu ordinatur: aq. com. libr. duae, nitri dep. dr. semis, syrup. rub. idaei unc. Lenimen exinde momentaneum. — D. 7. et 8. Febr. Continua morbi mitescentis et recrudescentis oscillatio. Videtur tamen sanguis partes superiores derelinquere et inferiores magis petere. Therapia eadem. — D. 9. Febr. Modica ad encephalon symphoresis; respiratio normalis; tussis nulla; pulsatio arteriae abdominalis modica; dolores sacrales pressivi versus spinam dorsi progredientes. Extremitates quidquam frigent et difficile moventur. Decti. gram. unc. sex cum sal. Glaub. dr. duab., borac. Venet. dr. dimid., infus. senn. c. mann. unc. duab., syrup. mannat. unc. — Pediluvium tepidum ex cineribus paratum saepius repetendum. Sinapismi ad suras. — D. 10 — 16. Febr. Amenorrhoea pertinaciter perstat. Sanguis circulans hinc inde versus encephalon vehementiori ruit impetu, pro maxima parte autem in partibus inferioribus congestus diversa causat gravamina non constantia. Therapia hinc inde cum aliqua modificatione

eadem. — D. 17. — 24. Febr. Caput et pectus ex integro liberum, omnis morbus in abdomine concentratur; tandem circa vesperas sub adauctis doloribus sacralibus catamenia quoad quantitatem et qualitatem normalia intrant. Pro medicamine solummodo dect. alth. — D. 25. — 29. Febr. Catameniis per hosce dies fluentibus uno fere ictu omnis abigitur aegritudo, ut aegra sanitate perfecta recuperata 29. Febr. ad suos reversa fuerit.

Chorea St. Viti, supervenientibus menischesi et congestionibus ad organa pectoralia, in individuo, vitio cordis organico adfecto.

T. K., puella 20 annorum, parentum sanorum proles, constitutionis tenerae, temperamenti melancholici, 5. aetatis anno variolas humanas passa est, et 13. chlorosi laboravit, diversis remediis, quorum ultimum ferrum fuit, tandem sanata. Anno 14. menstruatio sub consuetis moliminibus prima vice adparuit, quae quoad rhythmum, quantitatem qualitatemque normalis cum prospera aegrae valetudine usque ad 17. perstitit, ubi, peripneumonia validissima exantlata, menses emansere. Paulo post quater haemoptoës insultibus corripiebatur, a quibus remediis internis et venaesectionibus aegrae vix fere numerandis quidem sanabatur, relicta tamen dispnoea et cardiopalmo cum dolore urente in regione cordis, situque in utroque latere denegato, et tantummodo in dorso, trunco erecto, concesso. Interim menses re-

dicre. — D. 15. Nov. a. c., mensibus per refrigerium suppressis, carditidem sibi contraxit, ex qua venaesectionibus quinque, pulveribus ex digitali et calomelano, borace et pediluviis cum cineribus 2. Decemb. reconvaluit. Ast eodem die mane ira vehemente commota, convulsionibus percellitur ab initio partialibus, 25. Decemb. universalibus, bis terve de die insultum celebrantibus, quos phaenomena convulsionibus in genere familiaria comitabantur. Tinct. castor., pulv. ex flor. zinci et castoreo eo cum effectu propinabantur, ut convulsiones hucusque periodice recurrentes circa finem Decembris in motus musculorum voluntariorum convulsivos perpetuos abierint, illaesa conscientia et reliquis organismi functionibus. Quarta Januarii sequentia offeruntur morbosa: caput in regione frontali dolorificum; dolor modo obtusus, premens, modo pungens; oculi vivaces; adnata eorum coerulescens; physiognomia admodum variabilis, jam tristis, jam hilaris; genae pallidae; appetitus vigens, sitis modica; respiratio citata, ceterum sana; inspirium profundum concessum; levis pectoris oppressio; palpitatio cordis saepius de die revertens; abdomen sanum; alvus tarda; urinae pallidae, largae; cutis mollis, ad transpirationem prona, temperaturae sanae, in palma manuum fere semper sudans; pulsus sanus. Motus musculorum extremitatum superiorum et inferiorum vivaces, insoliti, involuntarii, etiam summo aegrae nisu non compescendi, ita, ut pedibus haud firmiter insistere valeat, et saltantis prae

se ferat faciem, nec recta linea incedere, sed per ambages locum praefixum adtingere possit, nec negotiis peragendis par sit. Si partes commotae premuntur, aegra dysphoria et anxietate corripitur partesque liberae majori vi convelluntur. Motus mox memorati semper perstant, attamen saepius de die exasperantur, quae exasperationes per horam durare consueverunt; etiam de nocte intrant, ubi aegram somno eripiunt. Praecedit has exacerbationes cardiopalmus cum anxietate conjunctus, et finiuntur plerumque sudore universali, qui per aliquot horas durans, demum evanescit et aegram delassatione totius corporis et doloribus capitis adauctis vexatam relinquit. — Ordinantur flor. zinci gr. quat., sacchar. alb. scrup. duo, in 4 part. divid. — Infus. herb. chenopod. ambrosioid. ex drachm. duab. par. libr. una, sacchar. alb. unc. semis pro potu; balnea universalia saponata. — D. 5. Januar. Aegra noctem propter convulsiones fere semper eam vexantes pro maxima parte insomnem transegit; mane convulsiones imaginem supra depictam prae se ferentes perstabant, et hora duodecima meridiana exasperationem celebrant per integram horam durantem, anxietate, capitis doloribus, difficultate respirationis et cardiopalmo vehemente stipatam, vehementioribus musculorum voluntariorum totius corporis convulsionibus sese manifestantem. Abacto insultu, sub quo extremitates frigentes, cutis autem in reliquo corpore calida, sicca inveniebantur, aegra sudans magna dodolatione to-

tius corporis plectebatur. Ad vesperas ex animi pathemate, nempe moerore nova exacerbatio. — D. 6. Januar. De nocte quidem dormivit aegra, attamen vividis somniis et convulsionibus saepius expergefacta. Status matutinus idem, ac hesternus. Hora octava post balneum, in quo dimidiam horam morabatur, a convulsionibus libera fuit, usque ad horam quartam a prandiis, ubi vehemens convulsionum insultus irruit, cum cujus acme conscientia abolita fuit. Praecessere insultum vehemens cordis palpitatio et dolores in regione frontis pungentes; sub insultu totum corpus exceptis extremitatibus, quae frigebant, caluit, qui calor sub finem insultus largissimo sudore universali exceptus fuit, quo adparente conscientia redux evasit. Hic insultus binis adhuc, quadrantis horae spatio disjunctis exceptus tandem in simplices illaesa conscientia transiit, continuantibus pectoris oppressione, respiratione laboriosa et vehemente cordis palpitatione, post horam demum evanescentibus. Animus aegrae, quousque licet, solatio exhilaratur, et remedia in usum jam vocata continuantur. — D. 7. Januar. Aegra ob phantasiae ludibria sat vivida et calorem summopere adauctum somno gavisa non fuit, usque ad horam quartam matutinam, ubi sub sudore largo, mitescentibus convulsionibus, oppressione pectoris et capitis doloribus somnus exoptatus intravit. Mane convulsiones adsunt leves, tantummodo in trunco et extremitatibus superioribus conspicuae. — D. 8. Januar. Convulsiones universales perquam modi-

cae; lenissima capitis tentatio; oppressio pectoris cum respiratione quidpiam citata. Meridie appropinquante vehemens convulsionum insultus supra depictus; insimul sensus ponderis sub sterno, tussis sicca, summo nisu sputa mucosa, tenacia flavicantia, striis sanguinolentis notata ejiciendi conjunctus. — D. 9. Januar. Convulsiones die noctuque nullae, attamen increscit pectoris oppressio, capitis gravedo; adsociant se dolores in epigastrio trahentes, sub pressione augendi, insignis extremitatum inferiorum lassitudo et vesperi eorum oedema. Therapia hucusque eadem. — D. 10. Januar. Molimina ad menstruationem intensitate et extensione augentur, convulsionibus recedentibus.— Dcti. radic. alth. unc. sex, tart. boraxat. dr. tres, syrup. mannat. unc. — Dctm. alth. cum infus. liquirit. p. potu. — Vesper. — Caput tentatum; in regione frontali dolorificum; oculi vivaces, splendentes; oculus dexter inflammatione conjunctivae adfectus, quae sensu corporis alieni, adaucta lacrymarum secretione, sensilitate erga lucem et tandem rubore partis adfectae palam fit; labia et os magis sicca; sitis adaucta; pectoris cum respiratione citata, anxia, oppressio. In abdomine dolores lacerantes, trahentes, fixi, ab uno hypochondrio ad alterum sese extendentes, sub trunci motione, insedendi conamine, pressione et profunda inspiratione augendi. Alvus de die non subsequa, ita et urinae, quarum secretio per aliquot dies debito parcior. Extremitas inferior sinistra maxima lassitudine plectitur, ita, ut aegra pedi hujus lateris insistere plane

non valeat, et sub tentamine ingrediendi dolores in articulatione coxae excitentur pungentes. Cutis mollis, transpirans; calor illius adauctus, per omne corpus aequabiliter distributus; pulsus normali et matutino frequentiores. Praeter mixturam matutinam adhuc sinapismi ad plantas pedum. — D. 11. Januar. Perstant congestiones, praecipue ad pulmones cum moliminibus ad catamenia et levissima febricula irritativa concomitante. Exceptis sinapismis therapia eadem. — D. 12. Januar. Post mesonoctium menstruatio parca quantitate et tota serosa intravit, absque symptomatum lenimine. Verum hora jam nona ante meridiem menstrua penitus recessere, ex quo tempore doloribus capitis, pectoris oppressione et doloribus in abdomine increscentibus. — Ad vesperas sinapismi ad suras applicantur. — D. 13. Januar. Conqueritur aegra de vehementibus capitis doloribus, anxietate pectorali et doloribus in abdomine lancinantibus et lacerantibus validis, sub inspiratione et trunci motu valdopere intendendis. Alvus una vice conditionis durae subsequa fuit. Lenissima febricula. Dcti. specierum alth. unc. sex, borac. Venet. dr. semis, infus. sennae cum mann. unc. duae, syrup. simpl. uncia; potus idem; sinapismi ad internam femorum faciem. — Vesperi febris exacerbatio. — D. 14. Januar. De nocte revocata menstruatio intravit sub adauctis doloribus abdominalibus, qui vero mox post adparitionem fluxus menstrui evanuerunt, et sensum ardoris in hac corporis parte reliquerunt. Perstitit oppressio pectoris et cephalaea, ast gradu multum

imminuto, et aegrae per aliquot horas et quies et somnus concessi fuere. — Sub visitatione matutina status mox descriptus emelioratus, et menstruatio quoad quantitatem et qualitatem debita perduravit. Therapia non mutata. Hora ad primam media fluxu menstruali repenter regresso ingens cardiopalmi insultus, summo suffocationis metu, dolore capitis pungente et distendente, tussi frequente et sicca comitatus intravit, aegram increscente cum vehementia per tres horas excrucians, quo ablato intervallum aliquot horarum liberum revertebatur, sub quo aegra de summa totius corporis delassatione, insigni capitis gravedine et aestu vehemente conquerebatur. Hora sexta eumdem insultum vehementissimum, tussi crebra et sanguinis atri, muco remixti ejectione stipatum exantlavit. Therapia eadem, insuper V. S. ad unc. sex. — D. 15. Januarii. Aegra noctem pro maxima parte inquietam peregit, saepius vexata cordis palpitatione eaque sat vehemente. Hodie caput grave, tentatum; in regione frontali dolores distendentes; pupilla dilatata; sub cardiopalmo susurrus auris sinistrae; physiognomia tristis; respiratio citata, anxia, magis sublimis; oppressio pectoris. Hinc inde palpitatio cordis vehementissima cum tussi sicca, aegram valde angente et suffocationis metu conjuncta. Abdomen in regione meso- et hypogastrica inflatum. Fluxus menstrualis de nocte revertebatur, ast parva quantitate et magis serosus. Cutis mollis transpirans; sub cardiopalmi insultibus largissimus sudor; pulsus normali multum frequentior, hesterno

vespertino evolutior. Infus. ex herb. digital. p. gr. decem ad colat. unc. sex, tartar. boraxat. dr. tres, infus. sennae cum manna unc. duae, syrup. mannat. unc. Cataplasmata emollientia ad genitalia; potus idem. Per diei decursum aegra insultibus palpitationis cordis, anxietate pectorali junctis, modo majori, modo minori vehementia ingruentibus vexata fuit. — D. 16 Januar. Nox elapsa quietior, licet aegra molestiis ex congestionibus manantibus saepius angeretur. Hodie caput magis liberum; pupilla oculorum adhuc dilatata; aegra de siccitate oculorum conqueritur; sensus titillationis in larynge; respiratio, licet citata adhuc, tamen pacatior; palpitatio cordis minus frequens et vehemens; abdomen sanum; alvus una vice subsequa; cutis mollis, ad transpirationem proclivis; de nocte sudor; pulsus frequentior normali, evolutior hesterno. — D. 17.—18. Januar. Pergit effervescentia systematis sanguiferi placari et sanguis liberius in organismo circulare. Hodie caput levissime tentatum; pectoris oppressio minima; motus cordis normalis; reliquae functiones organismi ad normam. — D. 19. Januar. Aegra in cubili bene calefacto apte vestita deambulat, et praeter magnam adhuc debilitatem euphoria gaudet. Aegrae, mixturam recusanti, forma pulveris medicamina praescribuntur. Pulv. fol. digital. purpur. gr. duo, pulver. folior. sennae gr. decem, arcan. duplicat. drachm. semis div. in dos. 4. — D. 20. Januar. — 6. Febr. Vires aegrae per hoc temporis spatium de die in diem increvere, viguit appetitus, et

aegra favente tempestate etiam foris versabatur. Aliquot vicibus, praeprimis sub longius protracta deambulatione, aut motu corporis vehementiori intravit cordis palpitatio, quae vero sub quiete mox cessavit. — D. 6. Februar. Sub consuetis moliminibus, doloribus nempe capitis prementibus, palpitatione cordis, ast non vehemente, levi pectoris oppressione et doloribus regionis sacralis et abdominis scindentibus menstruatio intravit, quae quantitate et qualitate normalis, per viginti quatuor horas perduravit, deinde vero cessit, quin aegra inde molestias persentiret. Fluxu menstruo durante pulvere sepositi fuere. — D. 10. Februar. Aliqua ex digitali narcosis adparuit, ex diplopia et vomitu ingestorum cognoscenda. Sepositis pulveribus electuar. lenitiv. ordinabatur. — D. 18. Februar. Aegra cum magna ob vitium cordis organicum ad pectoris morbos proclivitate, omnibus tamen molestiis immunis et penitus restituta dimittitur.

Corrigenda.

Pagina:	linea:	loco:	lege:
9.	13.	agressuro	aggressuro
16.	22.	pristinum	pristinam
17.	9.	lanquidus	languidus
18.	14.	morbi statui adjunge:	in subnervosam versa
25.	24.	Dtum. alth.	Dti. alth.
26.	12.	Dctum. cortic.	dectum. cortic.
40.	6.	Dto. infus.	dto infus.
42.	1.	callapsum	collapsum
47.	20.	Vescicans	Vesicans
52.	13.	Ordinatur	Ordinantur
56.	3.	diaphoreticum	diaphoreticam
60.	24.	expliacabantur	explicabantur
64.	28.	amittitur	omittitur
97.	16.	altern.	alteran.
100.	2.	faciens	faciendo
110.	22.	agripnia	agrypnia
111.	4.	vovum	novum
117.	29.	antiphlogisticam	antisyphiliticam
124.	18.	duab.	duob.
128.	9.	lienis	lien
133.	8.	abducta	obducta
140.	24.	Fffectus	Effectus
161.	2.	hyppocratica	hippocratica
—.	21.	exudationem	exsudationem

INDEX.

VI. NEUROSES.

Theses defendendae.

I.

Abortus procuratus a primo conceptionis momento homicidium.

II.

Metus inflammationis uteri applicationem frigoris in graviori uteri haemorrhagia non contraindicat.

III.

Neuroses genuinae in aetate infantili rarissimae.

IV.

In colica semper de hernia inquirendum.

V.

Catameniorum anomaliae uberrimum sistunt neurosium in foeminis fontem.

VI.

Tremor in corpore sano est prodromus paralyseos, in paralytico sanitatis.

VII.

Senectus a multis morbis epidemicis saepe manet immunis.

VIII.

Catamenia male a plethora sive universali, sive locali derivas.

IX.

Haemorrhoidum fluxus ab ipso morbo haemorrhoidali perbene distinguendus.

X.

Ex ophthalmonosologia moderna lux in nosologiam universalem nobis affulget.

XI.

Exstirpatio oculi rarissime fausto coronatur eventu.

XII.

Ad vulnerum consolidationem balsamus optimus est pus bonae indolis.

VINDOBONAE

TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.

1857.